NOTITIA EGREGII CODICIS GRAECI NOVI TESTAMENTI MANUSCRIPTI

QVEM NORIBERGAE SERVAT

VIR ILLVSTRIS

HIERONYMVS GVILIELMVS EBNER

AB ESCHENBACH RELIQUA

RECENSENTE

M. CONRADO SCHOENLEBEN

GYMNASII PATRII CON-RECTORE.

NORIBERGAE

TYPIS HEREDUM FELSECKERIANORUM

ANNO MDCCXXXVIII.

Digitized by Google

Lectori beneuolo ſalutem.

INter ſingularia bibliothecarum ornamenta codices manuſcriptos iure meritoque referri, nemini, hiſtoriæ literariæ gnaro, dubium eſſe poteſt. Quemadmodum vero nec in æſtimandis codicibus eruditi conſentiunt; ita et de illorum uſu diverſam fouent ſententiam. Sunt quidam critici, nimis audaces, qui ſpreta codicum auctoritate, luxuriante ingenio, in ſcriptis antiquorum mutant, delent, demunt, addunt, prout illis uiſum fuerit. Contra inuenias alios, nimis timidos, qui ſuo ingenio diffiſi, omnia ad librorum manuſcriptorum fidem exigunt, et uel illorum errata maioris habent, quam ſanæ rationis oracula, ſeque magnam eruditionis laudem adeptos eſſe exiſtimant, ubi maiore labore, quam utilitate, confuſam uariarum lectionum molem colligunt, quos celeber. PFAFFIUS recte cenſet, in republica literaria Gibeonitarum, ſaxa tantum et ligna portantium, munere fungi. Similis diuerſitas eruditorum apparet in uſu codicum manuſcriptorum. Sunt, qui hæcce CIMELIA literaria ſic ſibi tantum ſeruant, ut Herculi prius clauam extorſeris, quam illis cuiusdam membranacei theſauri uſum. Sunt uero et alii, publicæ utilitatis bene memoers, quibus iucundum eſt, haſce delicias cum orbe erudito communicare, facilemque illarum uſum aliis concedere. Et ex mea quidem ſententia, manuſcriptorum pretium non tam ex antiquitate et raritate, quam potius ex uſu et fructu petendum eſſe uidetur. Eadem eſt illorum conditio, ac auri et argenti, quod arca reconditum et auara manu cuſtoditum nullius omnino eſt uſus. Digni eſſent eiusmodi Bibliotaphi, in quorum manus tam pretioſa merx nunquam incideret. Cum contra uel ipſorum manuſcriptorum felicitas prædicanda ſit, quibus poſſeſſor obtingit, cuius liberalitate in publica uerſentur luce. Publico igitur nomine gratiae de-

debentur ILL. POSSESSORI huius Codicis, cuius uel ſolum nomen multorum titulorum inſtar eſt, cuiusque in hoc officiorum genere bene de re literaria merendi ſtudium omnino eſt ſuſpiciendum: utpote qui non ſolum omne tempus, a publicis negotiis uacuum, literarum ſtudiis auide conſecrat, & ex ſuo eximio apparatu literario nihil non eruditis liberali manu offert; ſed etiam ſua uenerandæ antiquitatis CIMELIA publicæ ipſe luci exponit, maiorem ex illorum poſſeſſione capturus uoluptatem, ſi eorundem uſus ad omnes tranſeat. Quo conſilio nunc edi curauit deſcriptionem præſtantiſſimi membranacei CODICIS MS. NOUI TESTAMENTI GRAECI; cuius ex oriente allati, et in his oris nunquam antea uiſi, poſſeſſionem ex ſingulari Numinis prouidentia nactus eſt. Non iam multis uerbis huius Codicis laudabo praeſtantiam; perlecta hacce deſcriptione, integrum tibi erit, BENEVOLE LECTOR, de illius pretio ferre ſuffragium. Id certiſſime affirmare audeo, ſubnixus quidem iudicio doctiſſimorum uirorum, qui ſacro horrore quodam perculſi hæc auro cariora luſtrarunt folia, huius commatis codices in Germania fere inueniri perpaucos. De tota hacce deſcriptione autem, ut eo æquius iudicium feras, pauca quædam ante monenda eſſe duco. Interpretem tantum ago, et huic opellæ, in ordinem redactae ſtilum qualemcunque locaui; res enim ipſa, eaque omnia, quæ in ſupradicto CODICE EBNERIANO notatu digna occurrunt, ab Ill. POSSESSORE propria manu conſignata mihi tradita ſunt. Accipe itaque hancce delineationem ſereno et amico uultu, et ſi huius lectione cupiditas tibi aliqua codicem ipſum perluſtrandi ſubnaſcitur; huic deſiderio, quæ ſingularis Poſſeſſoris humanitas eſſe ſolet, commoda occaſione ſatisfiet. Quod reliquum eſt, pia mecum iungas precor uota, pro TANTI MAECENATIS longæua incolumitate, eiusque generoſiſſimae gentis florenti felicitate. Vale et hiſce meis conatibus faue!

CAP.

Digitized by Google

CAP. I.

§. I.

IN deſcribendo CODICE EBNERIANO ordinis ratio poſtulat, ut primum ea, quæ externum habitum et cultum reſpiciunt, quæque illi recentiori manu adiecta ſunt, exponamus; tum ut interiorem codicis formam et imaginem ſiſtamus; denique ut qua ratione huius codicis præſtantia in publicos uſus transferri queat, ſubiiciamus quasdam meditationes.

§. II.

Primum momentum præſentis capitis erit argumentum. Codex græcus noui Teſtamenti Ebnerianus, forma quarta, magis in altitudinem quam latitudinem excreſcit, licet rationes ſuſpicandi non deſint, illius formam ab initio fuiſſe uere quadratam. Singulæ quaternæ chartæ, *quaterniones* dici moris eſt, quam appellationem in ſequentibus perſpicuitatis cauſa retinebimus, Græce, *τετράδες*, uel *τετράδια* appellantur, notis quibusdam inſolitis, ſed recentiori manu applictis, diſtinctæ ſunt, in hunc finem, ut uidetur, appoſitæ, ut, cum codex aliquando diſſolutus fuiſſet, ex harum notarum indicio quaterniones ſine ullius confuſionis metu iterum coniungi poſſent. Ipſum integumentum, quod mox deſcribemus, argenteis filis in infima et ſuprema parte firmatum, et exterior paginarum margo deaurata, mutationem recentiori manu factam manifeſte produnt; quibus accedit, quod commiſſuræ paginarum nunc minutulis punctis cohærent, cum contra etiam inciſiones in modum trianguli intervallo quodam inter ſe diſtantes appareant, per quæ craſſius filum olim traiectum fuiſſe, videtur.

§ III.

Non incommodum hocloco erit, veſtemCodicis,licet recentior uſuque plane detrita ſit, ut hanc ob cauſſam noua et elegantiori eum curauerit exornandum PER ILL. POSSESSOR commemorare. Includitur nempe is duabus aſſulis, ſiue tabellis, fuſco corio obductis, auroque uariegatis, in quarum latere eminent quinque ex argento confectæ eæque deauratæ ſtellulæ; ipſæ tabellæ ſuperiori et inferiori parte argenteis quatuor uncis conſtringuntur; interius haec ligatura in eum fere modum formata, multoque auro exornata eſt, quo Turcarum Volumina cooperiuntur.

§. IV.

Codex totus conſtat quadringentis uiginti et quinque foliis membranaceis; quorum pauciſſimæ paginæ nudæ et inanes apparent. Decem et quatuor folia priora, quae poſtliminio acceſſerunt, craſſiori, ac, ſi ſpectes latitudinem, minori; reliqua omnia, puriori et ſubtiliori in ſcripta ſunt membranæ. Liquor etiam in utriſque multum differt, in illis enim tituli, menſes, dies, et omnia, quæ codicis margini adiecta ſunt, rubro ſed ſubfuſco; reliqua nigro, ſiue atramento nimis pallescenti, exarata ſunt, de quorum colore infra dicendi locus erit.

§. V.

Hæc uero modo dicta XIIII. folia priora continent:

1.) Τυπικον, ſiue inſtitutionem, quo ordine quatuor Euangelia quotannis prælegenda ſint. En indicem ipſum:

Δηλωσις, διαλαμβανουσα, Ἰηνἰων Ευαγγελιων αναγνωσιν, καἰων Ευαγγελιςων διαδοχην, ποδεν αρχονται, και που καἰαλεγωσιν.

Recenſio comprehendens Euangeliorum lectionem, et ordinem Euangeliſtarum, unde incipiant, et ubi deſinant.

Τυπικον eiusmodi, ſed a noſtro diuerſum exhibet quoque Leo Allatius de libris eccleſiaſt. Græcorum p. 25. Tom. V. Biblioth. Græcae b. FABRICII.

2) Hoc Τυπικον excipit alius Evangeliorum index, paulo accuratior, hiſce verbis:

Δηλωσις ακριβης των καθ εκαςην ημεραν αναγινωσκομενων Αποςολο Ευαγγελιων αρχομενη απο Ἰης μεγαλης κυριακης του αγιου πασχα.

Recenſio accuratior Apoſtolo Euang. ſingulis diebus recitandorum, incipiens a magno Sabbato, ſeu ſancto paſchate.

In

In margine hæc verba conſpiciuntur;

Αι Εβδομαδαι, τoυ ολου χρονου. Hebdomades totius anni.

Dierum Sabbatorum et Dominicalium numerantur omnino quinquaginta, quæ conſuetis deſignantur appellationibus: Κυριακη τε Θωμα, των Μυροφορων, τoυ Ματθαιε, α, β, τε Λεκακ τ λ. et literis numeralibus diſtinguuntur adjectis pericopis epiſtolicis et evangelicis. Vt uero integer numerus eorum appareat, obſeruandum, hic VII. omitti, Quae inter Οσιακα occurrunt, menſe quidem Septembri II. σαββατα, quorum alterum Feſtum inuentae ſanctae crucis antecedit, alterum ſequitur, menſe Decembri dies dominica των προπατερων dicta, eodem menſe II. σαββατα ante et poſt Chriſti natiuitatem, et menſe Januario II. alia ante et poſt Epiphanias Feſtum.

3.) Sequitur alius eiusdem generis Index, lectiones continens tempore ieiunii quadrageſimalis, et ſingulis feriis ſextis recitandas hoc nomine;

Αποςολο. Ευαγγελια της Μ. XXXX.

Quibus adiunctae ſunt reliquæ pericopæ, hebdomade ſacra uſitatæ; XII. αναγνωσματα, hiſtoriam paſſionis JESU CHRISTI continentia, quæ horis canonicis recitari moris eſt, et XI. alia, hiſtoriam ſuſcitati Soſpitatoris referentia; quæ etiam aliis diebus dominicis horis matutinis praeleguntur, et ob hanc cauſam vocantur.

τα εωθινα ΙΑ. Ευαγγελια. Euangelia XI matutinis horis recitanda.

4.) Αναγνωςμασι ſuccedunt modo dicta οσιακα, id eſt: lectiones, feſtis diebus, memoriæ ſanctorum, martyrum, et confeſſoꝛum utriusque ſexus, dicatis uſitatae.

Hoc vero MENOLOGIUM, quod iuſto ordine ſcriptum apparet, incipit menſe Septembri, et clauditur menſe Auguſto. En verba illius prima, et ultima!

Συναξαριον των εορτων τoυ ολου χρονε δηλουν τα οφειλομενα Αποςολο. Ευαγγελια αναγινωσκεσθαι Τελος τoυ Μενολογιου

Synaxarium feſtorum totius anni, praecipiens, quae Apoſt. Euang. debeant praelegi. Finis Menologii.

Inter Elogia, quae per ſcripturae compendia adduntur nominibus perſonarum, haec frequentius occurrunt;

αγιος,

αγιος, οσιος πολβιος, ο εν αγιοις, Τιμιος- δικαιος, παλ̃ηρ, ιερο- Μαρ̃υρ, μεγαλο-
Μαρ̃υρ, πρω̃ο Μαρ̃υρ, υπερ αγια.

Hoc MENOLOGIUM copioſius eſt illo, quod Codici ipſi longe antiquiore forma adjectum eſt; brevius vero Heinecciano. Sub finem huius Menologii collectoris nomen indicatur JOASAPH; cuius et Montfauconius, in PALAEOGRAPHIA GRAECA pag. 75. meminit; et pag. 101. attribuitur illi horologium Græcorum, item et ειρμολογιον. AERA, INDICTIO, et SUBSCRIPTIO in utroque conveniunt.

Θεου̃ο δωρον και ιωασαφ πονος Ε̃ους ϛωθ Ινδικ̃ου Ιδ. μηνι Ιουνιω Κθ ημερα
Εχριϛε διδου μογησαν̃ι τεὴν πολυολβον αρωγην:

Dei donum, et Joaſaphi labor: Chriſte laboranti opimum auxilium tuum confer, anno 6899 anno Chriſti 1391. indictione 14. 29. die Junii, feria 5. Idem Montfauconius JOASAPHO noſtro inter calligraphos locum concedit; ſed in noſtro Codice literarum ductus adeo corrupti et deprauati ſunt, ut ſæpe ne a peritiſſimis quidem, omni opera adhibita, ſenſus verborum erui potuerit. Majori potius iure inter REVISORES, et CORRECTORES, nomen tueri poteſt.

§. VI.

Jam, quid cura JOASAPHI in Codice noſtro praeſtiterit, paucis memorabimus.

1.) Codicem in privatos uſus conſcriptum, quod deinceps probabimus, ad uſum eccleſiaſticum monaſterii Conſtantinopolitani οδηγων accommodavit.

2.) Ob eam cauſam rubro vilioris generis liquore, modo in ſuperiori, modo inferiori, modo media parte adjecit diviſionem CAPITUM ex indicio praefixi SYNAXARII. Apponamus numerum capitum, in quae Joaſaphus ſingulos Novi Foederis diſpeſcuit libros: Matthaeo attribuit capp. CXV. Marco LXXI. Lucae CXIIII. Johanni LXVII. Actis Apoſtolicis LI. Epiſtolae Jacobi VII. Priori Ep. Petri VII. poſteriori V. Primae Johannis VIII. ſecundae I. et tertiae II. Ep. Pauli ad Romanos XXXXV. priori ad Corinthios XXXXVII. poſteriori

ſteriori XXXI. Ep. ad Galatas XVII. Ep. ad Epheſios XXI. ad Philippenſes XIV. ad Coloſſenſes XIII. priori ad Theſſal. XII. poſteriori V. priori ad Timotheum XIV. poſteriori X. ad Titum V. ad Philemonem I. ad Hebraeos XXXVIII. Judae Epiſtola ob breuitatem capitibus caret.

3.) Addidit initia lectionum ſacrarum, quas ſupra memoravimus, quibus ſubinde introitum per alloquendi formulas αδελφοι et Τεκνια μυ, αδελφη, κ. τ. λ. praemiſit.

4.) Ordinem LITURGIAE, ſiue precum publicarum, horis matutinis veſpertinis, diebus feſtis, et in celebranda miſſa recitandarum, expoſuit.

5.) Vel in medio textu, vel, ubi ſpatio excludebatur, in margine annotauit, ad deſignanda Pericoparum et Sectionum initia, atque exitus, ſiglas χ ε et π quibus deſignantur αρχη, τελος et υπακοη uel attenta lectio, αρ τ υ, quod ultimum uocabulum multo rarius reliquis occurrit, conferatur Euchologium GOARI p. 55. et 57. quo quaerendi et evolvendi labor ſublevaretur; nec minus uaria addidit puncta, quibus lectionum paralleliſmus indicatur.

6.) Scriptis evangeliſtarum adiecit numeros ςιχων. En illorum numerum ex mente Joaſaphi! Matthaeus complectitur cIↃ cIↃ DC. Marcus cIↃ DC. Lucas cIↃ cIↃ D CCC. Johannes cIↃ cIↃ CCC.

7.) Sub finem evangeliorum et epiſtolarum per ſingulares, ipſique familiares abbreviationum notas adſcripſit, uocabulum τελος.

8.) Sub finem ſecundae epiſtolae Petri, ex incuria paginam vertendi clauſulam commatis decimi octaui: ημων και σωτηρος ιησυ χριςυ, αυτω ἡ δοξα και νυν και εις ημεραν αιωνος, αμην, in alteram paginam transtulit.

9.) Hiſtoriam adulterae Joh. cap. VIII. in codice, a tertio commate usque ad decimum ſecundum, omiſſam, finito JOHANNIS evangelio ſubiecit; quam per verba τω Καιρω εκεινω cum antecedentibus, et per verba παλιν ὁ Ιησυς, cum ſubſequentibus textus verbis coniunxit.

10.) Labori ſuo, quo rectius, codicis ornamento conſulturus, omnino abſtinuiſſet, hiſce tandem verbis, ſub exitum epiſtolae ad Hebraeos occurrentibus, finem impoſuit; quae tamen ab hoc ita dicto Calli-

B gra-

grapho tam miſere expreſſa ſunt, ut, quid ſibi velint, aut quomodo cohaereant, vix ſatis inveſtigari poſſit. Apponam illa eo ordine, quo commodum ſenſum gignere aliqua ratione videntur: Επληρωθη το καθ ημεραν ευαγγελιον κατα τȣ αποςολȣ και των σαββατων κυριακων και ολων των εορτων τȣ ενιαυτȣ επι μηνι Ιȣνιω, της Ιδ. ινδικτȣ, ετους ςωξθ, ημερα β ΙΘ τȣ ειρημενȣ μηνος, και οι εντυγχανοντες ταυτα, ευχεσθαι και τω συνεργησαντι εμοι εις τȣτο Ιερομοναχω κατα τȣ γρηγοριȣ, και μοι τω ελαχιστω και αμαρτωλω Ιωασαφ τω απο της μονης των οδηγων. Finitum eſt quotidianum evangelium ſecundum Apoſtolum et dies dominicas, et omnes feſtos dies totius anni menſe Junio Indict. XIIII. anno 6899. h. e. A. C. MCCCXCI. feria II. die XVIIII. dicti menſis. Tu, qui iſta accipis, fauſta quaeuis apprecare laboris huius ſocio Hieromonacho ex ordine Gregorii et mihi, omnium minimo et peccatori Joaſapho ex monaſterio aduenarum. Deiparae Hodegetriae ſeu των οδηγων, aedem, Deiparae ſacram, condidit Pulcheria Auguſta, du Freſne Conſtantinopolis Chriſtiana Lib. IV. Montfauconius Palaeogr p. 69. 110.

CAPUT II.

§. I.

Haec annotaſſe ſufficiat circa externum codicis noſtri habitum; iam ipſius codicis, formam interiorem delineabimus, eiusque contenta exponemus. In genere obſervaſſe iuvabit, codicem una ſerie, et cohaerenti contextu, exaratum, nullisque ſegmentis, titulis, et additamentis, niſi quae, ut ſupra diximus, recentiori manu adpoſita ſunt, interruptum, ab initio non in uſum publicum eccleſiae cuiusdam; ſed potius in priuatum uſum viri cuiusdam, opibus et generis nobilitate maxime fulgentis, conſignatum fuiſſe uideri. Si a principiis ſacrorum librorum diſceſſeris, totum opus minutis literis conſcriptum eſt; quarum literarum exactam formam et magnitudinem cognoſces ex ſpecimine textus, initium EVANGELII JOHANNEI continentis, quod aere expreſſum in limine huius opellae conſpicitur. Totius codicis folia numerantur quadringenta viginti quinque; membrana adeo pura et ſubtili, ut totum opus craſſitudine vix quatuor digitos excedat. Ac pro-

Digitized by Google

profecto, dum ordinem, elegantiam, ornamenta, imaginum et picturarum pretium, et uarietatem accuratius contemplor, in eam adducor opinionem haud omnino uanam, ut exiſtimem, Codicem hunc, in uſum ipſius cuiusdam Imperatoris Graeci, aut cuiusdam ex Auguſti familia, aut alius primae et aulicae dignitatis uiri, fuiſſe comparatum.

§. II.

Virtutes et dotes huius codicis uariae, et multiplicis generis ſunt:

1.) Primum is, raro exemplo, integer et omni ex parte perfectus eſt, niſi quod APOCALYPSIS JOHANNIS deſit. Conſtat autem, obſeruante clariſſimo BENGELIO, librarios rariſſime totum nouum teſtamentum deſcripſiſſe, et qui totum deſcripſere, duo, uel tria uolumina feciſſe, quorum poſtea alterum ab altero plerumque diſtractum eſt, ita, ut de tribus tomis, quorum primus EVANGELIA; ſecundus ACTA et EPISTOLAS; tertius, APOCALYPSIN, complexi fuere, utplurimum tantummodo primi tomi Codex, raro ſecundi et tertii tomi Codices adhuc reperiantur: cum praeter Alexandrinum nullus facile ſuperſit N. T. Codex, nulla parte mutilatus. Leiceſtrenſe enim noui Teſtamenti exemplar recentioris aeui notaeque minus probae eſſe, teſtatur Millius, confer JOH. ALBERTI BENGELII introductio ad univerſam lectionis uarietatem dilucidandam, *pag.* 377.

2) Sicuti autem prima huius Codicis dos eſt, integritas eius; ita altera habetur eiusdem ſcripturae uenuſtas et elegantia; tertia et quarta, accuratio et perſpicuitas; ac quinta denique pretioſus ornatus. De quibus ſingulis non nihil exponendum eſt.

§. III.

Ad praecipuam huius Codicis commendationem pertinet, quod nulla omnino in eo deeſt pagina, nulla aut manca, aut uitio temporis corrupta, aut omnino conſciſſa, apparet. Abſunt omnes maculae; LINEARUM ſiue uerſuum ſingulorum ſeries adeo concinna eſt et dimenſa, ut, niſi ornamentum, aut cuiusdam libri finis adſit, in quauis pagina uiginti et ſeptem pari ſpatio a ſe inuicem diſtantes, numerentur uerſus, relicta margine latiſſima. Haec omnia, ut opinor, perfectionis et ve-

nuſtatis clariſſima ſunt indicia. Quam ſtupenda uero induſtria exaratus ſit Codex, inter alia haec produnt: pauciſſimis in locis lima quadam et corrigendi labore opus fuit, ubi liquor paululum nigrior adhibitus eſt; omnes numeri, non per ſigna, ſed per conſuetas uoces expreſſi; omnes lineae, quod uel maxime mirandum, litera uocali, ſi uel uocis cuiusdam prima eſſet, et nunquam conſonante, niſi duabus αμεσως ſibi ſuccedentibus finiuntur; dicta parallela, ex ueteri Teſtamento adducta, ſemicirculis deauratis, margini appictis, indicantur.

§. IV.

Licet ſaepius ſcribendi compendia, quae ABBREVIATIONES uulgo audiunt, in Codice occurrant; ea tamen, cum ſemper iisdem characteribus ſcripta, redeant, perſpicuitati ac legentium facilitati officere minime poſſunt. Ductus literarum uero uarius, et diuerſi generis, obſeruatur.

a) Illae enim literae, quae EVANGELIUM, aut EPISTOLAM auſpicantur, colorum uarietate ſuperbiunt. Sic uideas mira cum uoluptate effigiem JOHANNIS APOSTOLI, manu librum tenentis, eamque maiori effigiei, quae in Codice extat, ex aſſe reſpondentem, literae O, quae prima eſt Epiſtolae eiusdem diui JOHANNIS, ſubſcripto eius nomine, impreſſam.

b) Ex his literis initialibus quaedam in epiſtolis Paulinis auro tantum inductae apparent.

c) In cuiusuis paginae ora literae maiuſculae, eaeque deauratae, modo tres, modo duae, raro quatuor, extra textum occurrunt, quae uero ipſum reſpiciunt textum; quarum literarum ſignificationem inferiori loco explicabimus.

d) Singularibus literis TITULI, et numeri CAPITUM, margini adiecti ſunt.

e) Peculiari quoque forma literarum CANONES EUSEBIANI, et uerba imaginibus euangeliſtatum appicta, gaudent. Omnes hae literae, a nobis memoratae, in rubri coloris fundo radiante auro elegantiſſime exaratae ſunt.

f) Praeter haſce aureas literas, aliae in minio ſubſtrato, ubi imagines uirorum ſanctorum occurunt, et aliae eodem minio, ſed minore

forma

forma pictae, in hiſtoriis, quas illi uiri ſancti compoſuerunt, pictoris errore aliquando corruptae, conſpiciuntur; reliquas omnes priſco nigrore adhuc conſpicuas, et ſibimet ipſis ſemper ſimiles, inuenias. Iſta autem atramenti ſpecies, qua uſus eſt librarius, uocatur ENCAUSIUM; quia admoto igne praeparabatur, et modo rubrum, modo atrum, edebatur. In vetuſtioribus manuſcriptis graecis a quarto ad XIImum usque ſeculum atramentum a priſco nigrore multum receſſit, rariſſime priſcum nigrorem ſemper conſeruat, ubi nimirum a peritioribus confectum ſit, obſeruante Montfauconio in Palaeographia graeca, pag. 2.

§. V.

Pretium Codicis maxime elucet ex ſplendidiſſimis, quae in eo deprehenduntur, picturis, in quibus uel ſanctorum uirorum effigies, uel alia ornamenta, ſingulari prorſus induſtria, et operoſo artificio, noſtris pictoribus hodie uix imitando, exhibentur. In iis imaginibus quae bis, uel etiam ter nempe modo maiori, modo minima forma, occurrunt, mira deprehenditur ſimilitudo. In aliis expolitionibus contra tanta eſt diuerſitas et uarietas, ut in tanto earum numero ne unica quidem cum altera plane conueniat. Quodſi itaque celeberrimus Montfauconius, in Bibliotheca Coisliniana, f. 133. ſeq. Codici cuidam maximum pretium, ob hanc quidem cauſam, ſtatuit, quod picturae, quae tamen noſtras magnitudine ſuperant, in illo obuiae, imaginem Imperatoris, NICEPHORI BOTONIATAE, oris et uultus lineamentis ſibimet ſemper ſimilem, referunt; tum certe pluribus ex cauſis noſtro Codici palma omnino debetur. Ipſi antiqui poſſeſſores noſtri codicis, quanti ornamenta haec aeſtimanda ſint, ſatis uidentur intellexiſſe. Sapienter enim proſpexerunt, ſericis uelis, in ſumma pagina flaua cera firmatis, tegentes ea, ne aut iniuria temporis corrumperentur, aut, impuris manibus tacta, palleſcerent, aut colorum ſplendor paginis proximis attereretur. Praeter haſce picturas praeſtantiam codicis euincunt literae bene multae, in fundo miniato deauratae. Graecos frequentius liquore aureo uti, quam Latinos, MONTFAUCONIUS obſeruauit pag. 4. Palaeogr. graec. Haec ars aureis literis ſcribendi χρυσογραφία dicebatur, et huius artis periti χρυσογράφοι quibus etiam moris fuit, cinnabari primum ſcribere literas, ut poſtea eas deaurarent. Et ſi de aetate codicis

cuiusdam ex colore et figura literarum indicare liceat; idem Montfauconius bibl. Coislin. codicis Colbertini N. 700. Seculo ſeptimo exarati meminit, cuius priores paginae auro elegantiſſime ſcriptae ſunt. Imo S. HIERONYMUS, Praefat. in Iobum, iam ſua aetate commemorat libros ueteres, in membranis purpureis, auro argentoque deſcriptos.

§. VII.

Hucusque, quibus potiſſimum uirtutibus Codex noſter ſeſe commendet, paucis indicauimus; iam ſingulas eius partes perluſtrare, et contenta iuſto ordine recenſere, operae pretium erit.

a) Ab initio ſtatim INDEX legitur lectionum euangelicarum, ſingulis diebus ſex hebdomadum, quae inter feſtum paſchatos et pentecoſtes intercedunt, uſitatarum.

b) Quibus illius, qui correctoris munus ſuſtinuit, (non loquor autem de Jaoſapho, recentioris aeui reuiſore, ſed de illo, qui antiquioribus temporibus limam adhibuit.) manu euangelia trium priorum dierum ſeptimae hebdomadis appoſita ſunt.

c) Συναξαριον των Ευαγγελιων απο τε πασχα μεχρι N. Ubi litera N. non ſignificat numerum, ſed Νηστειαν, i. e. JEIUNIUM, adiectis uerbis, quibus auſpicantur et finiuntur, et locis, in quibus extant. Deinde ſequuntur ſupra memorata.

d) XI. Euangelia XI. matutina, Τα Ια εωθινα.

e) Et in quatuor lineis adiunguntur lectiones ſacrae, ex euangeliis depromtae, quae 1) in dedicationibus templorum 2) in inauguratione monachorum 3) in ſepulturis 4) in memoriam ſanctorum Martyrum 5) aduerſus timorem terrae motus (εις φοβον, omiſſo uocabulo σεισμα, quod in aliis codicibus exprimitur;) 6) in inauguratione Virginum ſacrarum 7) apud aegrotos 8) in memoriam Apoſtolorum recitari ſolent, indicatis tantum capitibus. Connexionis cauſa

f) Ea quoque, quae ACTA APOSTOLORUM antecedunt, in hunc locum transferemus. Nempe primum INDICEM LECTIONUM, ex Actis a feſto PASCHATOS usque ad feſtum PENTECOSTES per ſingulos dies abſoluendarum; Συναξαριον των Θειω

πραγμα-

πραγματων των Αποςολων απο τȣ πασχα μεχρι N. In nomine Dei, Synaxarium ex Apoſtol. a feſto Paſchatos usque ad Jeiunii tempora.

g) Deinde LECTIONES numero XXXII. EPISTOLICAS, feria ſeptima et prima recitandas: αρχη συν Θεω των Σαββατων κυριακων τȣ Αποςολȣ. In nomine Dei, initium Sabb. dominicalium ſecundum Epiſtolas.

h) Tum TRES LECTIONES eo feriarum tempore, quod ieiunium antecedit, ſtatas, προ της αποκρεω, της αποκρεω, της Τυροφαγου. Die ante carnis abſtinentiam, ipſo carnis priuii tempore, et quo caſeo et lacte uiuendum.

i) Poſt illas, ſex numero, quae ab Jeiunii feriis usque ad feriam VII. ante Paſcha recitari ſolent: ακολουθια των αγιων Νηςειων.

k) Praeterea MENOLOGIUM, ſuperius recenſito longe breuius adrectis lectionibus epiſtolicis, quibus lectiones ſeptem dierum dominicalium in ſuperiori omiſſae, ſuis locis inſertae ſunt, nempe menſi Sept. II. Sabbata crucis inuentae memoriam partim antecedentia, partim ſubſequentia. menſi Decemb. II. Sabb. quod dicitur των προπατερων, II. quorum unum Chriſti natiuitatem praecedit, alterum excipit. I. feſtum Επιφανειας Apparitionis J. C. antecedens, et menſi Januario I. poſt feſtum της αγιας επιφανειας.

l) Huic Menologio ſuccedunt rurſus decem lectiones, ex epiſtolis decerptae: octo earum conueniunt cum ſupra memoratis; duarum reliquarum argumentum ſpectat ad honorem Virginis Deiparae, et ad ritum ſepulturae. Loco illius LECTIONIS, quae agit de memoria Apoſtolorum, Prophetarum fit mentio. In genere notes uelim, initium dierum feſtorum duci a feſto paſchatos. Leo Allatius de Dominicis et hebdomadibus incipit has X. hebdomadas a dominica tertia poſt feſtum Epiphanias, τη Κυριακη Λȣκα τȣ τελωνου και τȣ Φαρισαιȣ. Feriam ſextam a JOASAPHO ϛ. litera ſignatam hoc loco uocabulum παρασκευη indicat.

§. VIII.

Numero lectionum ſacrarum definito, in ſpatio quadrato auri laminis obducto, conſpiciuntur imagines EUSEBII et CARPIANI: hi duumuiri apparent tanquam Anachoretae, ſtantes nudatis capitibus, quae radians nimbus ambit, capillo et barba albeſcendi praediti, candida induti ueſte interiore, cui ſuper iniectum eſt ueſtimenti genus, quod Scapulare uocamus, in ima parte utroque latere duobus filis ceu ligamini-

mini-

minibus, ne fluctuans nimis excedat, munitum, et nigra exteriore, manicis deſtituta, nec ad talos usque, ut alias ſolet, demiſſa, et nigris calceis. Hi uidentur inter ſe colloqui EUSEBIUS ſiniſtra membranaceum volumen, aliqua ex parte explicatum, tenet. Dirimit illos columna, in qua uir quidam menſulae aſſidet, et alius adhuc ſtans ab eius facie muſcas abigit. In dextro latere homo iocularis, ſiue pantommius, capite in terram reclinato, manibus inſiſtit, quem comitantur alii duo, tibiis canentes. Siniſtro latere aliquis, qui ſaltat, una cum duobus chelyn intendentibus; columnae in utroque latere a duobus hominibus fulciuntur; media ſuo nititur fundamento. Imaginibus hiſce adiuncta eſt notiſſima illa Euſebii epiſtola ad Carpianum, literis aureis exarata.

§. VIII.

Sequitur *υποθεσις κανονων της των Ευαγγελιςων Συμφωνιας*, nouem paginas implens, quarum unaquaeque tribus columnis, et transuerſim ductis lineis in partes diſtributa, et uariis ornamentis, multiplices figuras aquarum ſalientium et peregrinarum auium referentibus, diſtincta eſt. Notulas CANONUM, ſiue, ut Euſebius illas appellat, *τας υποσημειωσεις* apponere licebit. In prima pagina *Κανων* Α. *εν ω. οι* Δ. in ſecunda et tertia *Κανων* Β. *και* Γ. *εν ω. οι* Γ. In prima Sectione, Matthaeus, Marcus, Lucas, in altera Matth. Luc. Johan. In quarta pagina *Κανων* Δ. *οι* Γ. et Matth. Marcus, Johan. *Κανων* Ε. *οι* Β. Matth. Lucas repetitis uicibus. In quinta Luc. Matth. Matth. et Marcus, Matth. Marc. et Matth. Johan. In ſexta *Κανων* Ξ. *εν ω. οι* Β. Lucas Marcus. Lucas Johannes. In ſeptima *Κανων* Η, *εν ω. ιδιος εκαςος* et Matth. ſexies. In octaua *Κανων* Θ. *εν ω. ιδιος* Marcus bis, Lucas et Johannes ſemel. In nona et ultima *Κανών* Ι. *εκαςος* Lucas ter, et totidem Johannes. Nouem quidem tantum ſunt Sectiones, in quarta uero duo canones Δ. et Ε. coniuncti ſunt. Quod ſi numerum CANONUM inire uelimus, in Matthaeo CCC LV. in Marco CC XLI. in Luca CCC XL. in Johanne CC XXXII. deprehendemus. Numerus CANONUM in Matthaeo et Johanne cum Milliana editione conuenit. Tabulae CANONUM ipſae uero interdum a noſtris differunt.

§. IX.

Hos Canones excipit elegans pictura, in ſpatio quadrato delineata, quae multa obſeruatu non indigna ſpectantibus exhibet. Primum

Digitized by Google

mum quidem effigiem ſancti euangeliſtae, Mathæi adſcripto nomine αγιος (per compendium) Ματθαιος, cano capillo et barba uenerãdi, ſedentis, membranam reuolutam ad uſum ſcribendi ſupra genua tenentis. Habitus eius interior caeruleo, exterior uiridi tinctus eſt colore, manu tenet calamum, ſiue arundinem, cuius extremitas rubro colore infecta eſt. Clauſo armario cuidam impoſitum eſt uaſculum, partim rubro, partim atro, colore repletum. MATTHAEUS ipſe, arundinem intincturus, manum protendit, cui adiacent duo cultelli, et pluteus eminens, a quo pura membrana ſuſpenſa eſt. Latera tegunt duae columnae, ſuper quas in hemicyclo, miro quidem artificio, ſed neutiquam ad fidem hiſtoricam ex rei natura expreſſo, natiuitas ſoſpitatoris noſtri, Ηχυ Γεννησις, conſpicitur. In monte edito, et quidem in aede, tecto uacua, expoſitus eſt conſpectui ſanctiſſimus Infans, ex angulo quodam bos et aſinus capita inſerunt, quae animalia iam pia antiquitas ad Chriſti praeſepe collocauit, uideatur NAZIANZENUS in oratione de Chriſti natiuitate et HIERONYMUS ad Euſtachium de Paula Romana, nobili muliere. Super infantem fulget ſtella, radium emittens. Latus eius cingunt duo angeli, attonito uultu ſeſe aſpicientes. Tergum alterius tegit tertius angelus ad paſtores, in inferiori collocatos loco, conuerſus; infantem cuſtodit mater deipara, textili rubri coloris ſtragulo incumbens, ſub radicibus montis uas conſpicitur, ex quo medio corpore prominet infans, fulgenti nimbo nitidus, quem femina ſedens abluit, alia ſuffundente aquam. Cui Joſephus forma ſenili, meditanti ſimilis, aſſidet. In extremo apice huius paginae extra pictum quadrangulum, auratis literis ſcripta leguntur haec uerba: Λογους Τελωνιωνι και Δημοσιας πραξεις. In latere: Ελιπες Αποςολε Ματθαιε Μακαρ Μονω δε χω ηκολουθησας ποθω et in ora infima: Γραψας απασι Ιους αυτοθειους λογους. Ligato ſermone tum Matthaei tum reliquorum SS. ſcriptorum elogia conſcripta eſſe, nemo non uidet. Verſio horum latina ſic ſe habet: Rationes uectigales et publica negotia reliquiſti o beate Apoſtole Matthaee; maximo deſiderio Chriſtum ſolum ſecutus es, in omnium uſum uere diuina conſcribens oracula. In altera pagina, e regione, figura quaedam quadrangula apparet, lectiſſimis coloribus uariegata, omne ſpatium ſic quidem implens, ut, praeter titulum το κατα Ματθαιον Ευαγγελιον, tribus prioribus lineis textus uix relictus ſit locus. Primum caput A. his uerbis incipit: του δε Ιησου γεννηθεντος, cum autem JESUS natus eſſet. Obſeruauit CL. Bengelius

hebrai-

in ſua editione p. 451. Nullum hebraicum Matthaei Codicem habuiſſe genealogiam, uel omnino duo capita prima. Sequuntur ξη. capita LXVII. quorum argumenta uel in inferiori uel in ſuperiori parte, auratis literis ſcripta ſunt: Finito euangelio haec clauſula adiicitur: Το κατα Ματθαιον Ευαγγελιον εξεδοθη υπ αυτου εν Ιερουσαλημ μετα χρονους οκτω της του χριστου αναληψεως. Euangelium Mathaei editum eſt ab ipſo Hieroſolymis octo annis poſt Chriſti aſcenſum. Teſte enim EPIPHANIO, Mathaeus, cum in Judaea uerſaretur, in uſum Judaeorum, qui Chriſto dederant nomen ſuum, ex mandato Apoſtolorum, octauo poſt Chriſti reſurectionem anno, euangelicam hiſtoriam literis conſignauit. Id quod et in clauſula manuſcripti vetuſtiſſimi, quod Beza Academiae Cantabrigienſi donauit, legitur.

§. X.

Cum paragrapho proxime antecedenti picturam, natiuitatem Chriſti exhibentem, delineauerimus; addere quaedam non quidem ex codice noſtra depromta, ſed tamen a re ipſa haud aliena, operae erit pretium. Inter imperii inſignia, quae dulciſſima patria noſtra ſeruat, inueniuntur duae armillae aeneae, ſcriptoribus medii aeui non incognitae, figura ſemirotunda; in quarum altera conſpicitur pictura quidem encauſtica, tres magi Chriſtum adorantes, in altera ſoſpitatoris natiuitas, a noſtra antea memorata haud multum abludens. Conueniunt enim angeli adſtantes, ſitus matris, locus, animalia, paſtores, Joſephus ſedens, ſtella radios ſpargens in infantem, addita hac inſcriptione antiquis literarum ductibus exarata: Quem lex tota ſonat, datur orbi, gratia donat. Jam ſi de utraque pictura iudicium ferendum ſit, fatendum eſt, 1. licentia pictorum multos occurrere errores: neque enim tuguriolum ex tignis erectum germanicae regionis more ſtabulum illud fuit, in quo Chriſtus natus eſt, ſed ſpelaeum in ſaxo cauatum, ac ſubterraneum; nec capita Chriſti et Mariae nimbo lucidiſſimo tincta, nec Maria tam ſuperbo ueſtita indumento, ad terram demiſſo ſyrmate defluenti, nec Joſephus ſenex tremulus; nec tandem induſtria muliercularum in abluendo Chriſti corpore cum rei ueritate conſentiunt. Id quod docte ac eleganter demonſtrauit M. Paulus Chr. Hilſcherus in *diſſert. philog. de pictorum erroribus circa natiuitatem Chriſti* 1705. 2) Hiſce naeuis uero non obſtantibus, utique hiſce picturis conſtat pretium atque utilitas. Neque enim tantum inſigne Codicibus afferunt ornamentum et poſſeſſoris teſtantur nobilitatem atque diuitias, qui in codice exornando nullis pepercit

eit ſumtibus, ſed etiam illarum beneficio ad illuſtrandos antiquos ritus haud leuis fit acceſſio. Cum enim pictores, in delineandis imaginibus, illius, quo ipſi uixerunt, ſeculi mores atque ingenium plerumque ſequantur; ueſtium formam, aedificiorum ſtructuram, opinionum, quibus homines laborarunt, indolem, et innumera alia, ex hiſce picturis optime eruere poſſumus. Sic, qui uas illud, quo infantis corpus abluitur, BAPTISTERIUM antiquae eccleſiae referre ſibi perſuaſerit, me quidem non habebit diſſentientem.

§. XI.

Sed e diuerticulo redeamus in uiam. Ordo nunc tangit Euangelium ſancti Marci, *τȣ κατα Μαρκον ευαγγελιον, τα κεφαλαια*; quorum numerus usque ad quadraginta octo progreditur MH. In Matthaeo deſunt *Κεφαλαια* ſingulari pagina ſub libri initium, ut in reliquis Euangeliſtis, ordine debito recenſita, licet in ſuperiori margine cuiusuis paginae adſint. In Bibliotheca Coisliniana pag. 247. Codic. 195. aetate quidem ſeculi decimi, eadem ratione, tum in MARCO, tum in aliis reliquis Euangeliorum ſcriptoribus, *Κεφαλαια* numerantur. Quae ordine iam ſequitur imago Marci, oculos ſpectantium merito in ſe conuertit. Hic ſacer praeco, cuius nomen *αγιος Μαρκος* appoſitum eſt, ſellae ſingularis formae aſſidens, meditanti ſimilis, ſiniſtra manu inclinans fulcit caput; dextra arundine in membrana, ſuper genua ſcripturus, exhibetur; in conſpectu eius clauſa quaedam arca; cui praeter ſuperius indicata calligraphorum inſtrumenta, forficula, ut uerbo Pliniano utor, impoſita eſt; in pulpito quodam praeparata membrana expanſa eſt. In ſuperiore picturae huius parte, ad undam fluctibus aeſtuantem apparet JESUS, humani generis ſoſpitator, cuius capiti Johannes, paruo monti inſiſtens, manum imponit; in nubibus candida columba alas expandit, in latere conſpiciuntur duo Angeli, lintea ueſtimenta tenentes, adiecto uocabulo: *η Βαπτησις.* In ſuprema margine legimus: *υιον πετρου τον Μαρκον η θεια χαρις*

In latere:

Τιθεσιν αλλην αρραγεςατην πετραν υιον θεου τον χριςον επροοιμιον in ora extrema:

Λαμπρως διδασκων και σαφως αναγραφων id eſt: Petri filium Marcum diuina gratia conſtituit, aliam, eamque immotam petram DEI filium Chriſtum praefatus eſt, ſplendide docens et ſapienter ſcribens. Et finito euangelio;

Το κατα Μαρκον Ευαγγελιον εξεδοθη μετα χρονους δεκα της τε χριςου αναληψεος, id eſt: Euangelium Marci compoſitum eſt decem annis poſt Chriſti aſcenſum.

§. XII.

Progrediamur nunc ad LUCAM S. Euangelii, cuius ille autor eſt, capita numerantur $\pi\gamma$. LXXXIII. Ipſe oraculorum diuinorum interpres ſellam, adminiculis deſtutam, occupans, detonſis capillis in apice capitis caluus, barba breui, in membrana literas ducens, apparet; ueſtimentum eius interius caerulei, exterius mixti coloris ex flauo et rubro eſt. Adſunt quoque theca ſcriptoria, in cuius ianua patente uitrum cum duobus uoluminibus collocatum eſt; ſaepius iam memorata calligraphorum inſtrumenta, pulpitum, et e regione Lucae duo aedificia forma et ſtructura plane ſingulari, appoſito ſacri ſcriptoris nomine *αγιος Λεκας*. Superius Virgo Deipara, qualem ſupra iam deſcripſimus, defluenti ueſte amicta, et pallio, quo illius quoque caput obuelatum eſt, ſuperinduta; illa coeruleo, hoc nigro colore, tincta ſunt. Sedens ea, ſiniſtra manu, quantum ex poſitu digitorum colligere licet, pretioſa rubri coloris fila ducens, dextra, qua fuſum torquet, gremio impoſita; columba, cuius pedes rubro liquore infecti ſunt, roſtro uolumine oblongo purpureas literas geſtans, alarum ſtrepitu illam accedere properat: iuxta Mariam aedificium a noſtris aedibus longe diuerſum, idque in longitudinem excreſcens, poſitum eſt; ante illam angelus accelerans caeruleo et uiridi habitu, dextram illi porrigere uidetur, adiecta uoce minio ſcripta, ſed pictoris uitio minus recte ſcripta: *ὁ χερετιςμος* (ſimilem angelicae ſalutationis picturam habes apud Montfauconium) in exteriori margine haec uerba leguntur:

Μοσχον σε λουκαν ιςορουσιν αξιως. in media ora:

Ως τον αμνον τε και ανθρωπον λογον απασι λαμπρως κηρυξας τε και γραψας.

In infima:

Και σεαυτον αυτω προσενεγκας θυσιαν hoc eſt: Jure, TIBI, Luca, bouem tribuunt, agnum enim et hominem, uerbum illud omnibus ſplendide annunciaſti et ſcripto expoſuiſti, TE ipſum uero illi loco uictimae obtuliſti.

Ad calcem euangelii:

Το κατα λουκαν ευαγγελλιον εξεδοθη μετα χρονους πεντε και δεκα της χριςου αναληψεως. Euangelium Lucae editum eſt XV. annis poſt Chriſtum caelo receptum.

XIII. Sub

§. XIII.

Sub initium Euangelii Johannei primo loco ARGUMENTA CAPITUM numero ιη. XVIII. recenſentur; tum conſpicitur imago ſcriptoris ſacri, adſcripto nomine Ιωαννης ὁ θεολογος, ſub forma uenerandi ſenis, capite cano, barba promiſſa, manibus ad coelum ſublatis, amictu caeruleo inferiori, et glauco ſuperiori; ex quadam nubecula manus, prioribus digitis extenſis, eminet. ex eius regione iuuenis, habitu uario indutus, fuſco capillo, barba deſtitutus, ſellae inſidet ſcripturus quaedam in librum, genibus incumbentem; initium ſcribendi facit his uerbis: εν αρχη. Locus, in quo uerſatur, montibus frequens eſt, et duabus arboribus obſitus. Hanc picturam accuratius intuens rationem fruſtra diu quaeſiui, cur forma huius Euangeliſtae a reliquis adeo differat, donec commoda occaſione uiri clariſſimi noſtrisque muſis amiciſſimi, AUGUSTINI GABRIELIS GEHLII, deſcriptio Codicis Manuſcripti quatuor euangeliorum, Franckof. et Lipſiae anno M DCC XXIX. in octauo, quem ipſe poſſidet, quemue liberali manu, quod publice praedicare decet, nobiscum communicauit, in manus noſtras incideret. Ibi in Hypomnemate, quo uita Johannis illuſtratutur, tempus, locus et occaſio ſcripti eius Euangelii, ſine dubio ex traditione recepta, his uerbis ex-explicantur: περιλαβων τον προχορον της ακροασεως εφαπτεται, ινα ὁ μεν τα παρα θεȣ, ὁ δε τα εκεινȣ διασημηνηται, επειτα ςηλεται κατα τον Σαμȣηλ ορθιος, κατα Μοσεα τω χειρε διεσχηματησαι, και τον νȣν εξελων τον αισθησεων ολον αναφερει προς τον ποθȣμενον. Τι ουν το εντευθεν; βροντα φρικωδεις, και δειματα, και αςραπαι συνεχως απορρηγνυμεναι, καθαπερ επι Μωσεως. ειτα πρηνης μεν και οιονει απνȣς ὁ προχορος, τοια τοις ȣκ ενεγκων ενδιατριβειν θεαμασιν. αυτος δε αμεταστρεπτος ιςαται, ποῤῥω της αγαπης το δεος βαλȣσης. εις φωνην δε οψεπως ἡ βροντη διαρθρȣται, και τρανοτερον ὑπηχει το εν αρχη ην ὁ λογος, και ὁ λογος ην προς τον Θεον, και ὁ Θεος ην ὁ λογος, πλησιον της θεορρημοσυνης ὁ προχορος το μεν φως διορων, ακȣων δε ȣδενος. Γλωσσα της βροντης ὁ θεολογος, και ὁ ȣκ μυςης τ δεȣς ανενεγκων υποτρεμȣση χειρι τα εκειθεν διαχαραττει εως απηρτισθη το ευαγγελιον. *Prehenſo Prochoro, audientiam ſibi faciens, ſignificat, ipſum ſe ea, quae a Deo, iſtum, quae a ſe accepiſſet, indicaturum. Stat, quemmadmodum Samuel, in loco accliui, manibus ſpeciem praebentibus Moſaicarum, atque animum a ſenſibus abductum totum refert ad eum, cuius deſiderium flagrabat.*

 Tum

Tum uero tonitrua horribilia audiri fulgoresque continui uideri, ſicut Moſis aetate. Statim Prochorus, ut eiusdem modi ſpectaculis intereſſe non poterat, paene exanimatus concidit. Ipſe uero immotus ſtat, metum amore remouente. Tandem in uocem tonitru conuertitur, planeque et aperte ſonat illud: PRINCIPIO ERAT SERMO, ET SERMO ERAT APUD DEUM, ET DEUS ERAT SERMO. *Proxime hoc oraculum Prochorus cum eſſet; lumen quidem uidit, audiuit autem nihil. Lingua tonitru theologus: at myſtametum ſuſtinens tremula manu, quae ibi fiebant, exarauit tam diu, dum perficeretur Euangelium.* Haec ad illuſtrandam imaginem JOHANNIS ſufficiant; reliquam porro picturam age perluſtremus. Superius quidam apparet ex morte ſuſcitatus ſoſpitator noſter, cuius manus et pedes clauis adhuc perfoſſi ſunt, ſiniſtra ſignum *) crucis duplicis, anſa munitum, tenens, nigro monti aureis characteribus diſtincto inſiſtens, ad cuius pedes duo lignea opercula, et *tres claues aureae* iacent; dextra grandaeuum ſenem ex lapideo monumento protrahens, cuius tergo mulier amictu rubro et caerulea ſtola ueſtita adſtat; in altera parte ex ſarcophago uir fuſco capillo et barba, pectore tenus, ſeminudus, amiculum nigri coloris geſtans, manum tollens, ſtipatus duobus comitibus; quorum alter albo capillo et barba, caeruleo pallio et aureo perizonio, diademate unionibus radiante exorna-

*) Vulgo crux Vngarica dicitur. Originem duxiſſe fertur ex Nummis quibus iam Graecis Byzantinis, ubi Imperator et Imperatrix, ille quidem ſiniſtra, haec dextra cruces TENENT; ITA ut amborum, crucem TENENTIUM repraeſentatio facta ſit, Imperatoris quidem cum magna cruce, ac maiore transuerſario ſtipite; Auguſtae uero, cum minore. Cf. Illuſtr. Poſſeſſ. Diſp. THESES MISCELL. ET CONFUSAN. ſub Praeſidio b. WAGENSEILII habitam Altorfii Anno 1694. §. 25. p. 14. Aſſentitur Carolus du Freſne Diſputatione de inferioris aeui Numiſmatibus num XXIII. qui originem duplicis crucis in tempora Conſtantini et Irenes matris referens Gretſeri ſententia repudiata hiſce ſuam declarat. Longe magis arridet eorum coniectura, qui cruces iſtas duplices profluxiſſe uolunt ab iis, quae in nummis Auguſtorum Byzantinorum deſcriptae uiſuntur, quas Imperator et Auguſta ſiniſtra alter altera laeua tenent, ut ita effictae ſint, quaſi uterque crucem tenuerit; Imperator quidem maiorem ac cum maiore transuerſario ſtipite, Auguſta uero cum minore.

ornatus eſt; alter uero, quem potius, ſi ex habitu coniectare licet, foeminam dixeris, rubro pallio, cui ſimile perizonium affixum eſt, ſuperbit. Hi tres, quos hactenus deſcripſimus, nimbis, ſiue luminis ſplendore, circa capita effulgent: adſcriptum eis eſt in ſummo quidem picturae apice uocabulum, *ἡ αναςασις*. In Codice Baſilienſi minori eiuſmodi quoque pictura cum noſtra plane conueniens occurrit confer J. J. Wettſteinii Prolegomena ad Noui Teſtamenti Graeci Editionem Accuratiſſimam p. 55.

Inſcriptiones hanc figuram ambientes hae ſunt:
In ſuperiori parte:

Στηθει Μαθητα παρθενε του κυριου.

In latere:

Επιπεσων ηρδευσας εξ αυτου χαριν οθεν κατεβροντισας απασαν Κτισιν.

In inferiori: *λογοισ τε και δογμασι Θεολογιας*, id eſt: Sta, diſcipule, qui Domino deſponſatus es, procumbens ab eo impetraſti gratiam, hinc omnia, quae creata ſunt, oraculis et doctrina Theologiae quaſi tonitru quodam obſtupe feciſti.

Ipſum euangelium hiſce clauditur uerbis: *το κατα Ιωαννην ευαγγελιον εξεδοθη μετα χρονους* XXXII. *μετα της χριςου αναληψεως. Δοξα τω Θεω παντων ενεκα* id eſt Euangelium Johannis editum eſt XXXII. annis poſt Chriſti aſcenſum. Gloria ſit DEO in omnibus.

§. XIV.

Sub finem EVANGELII JOHANNIS legitur pericopa illa de adultera, et antiquum SYNAXARIUM; de quibus, cum ſupra, quod ſatis eſt; diximus, plura iam referre, nil attinet. ACTIS APOSTOLICIS praefixa eſt pictura affabre nitida, quae ſcriptorem ſacrum LUCAM, continet, forma et ueſtitu ſimili, quam in eius Euangelio deſcripſimus; ſellae, adminiculo deſtitutae, ſiue ſubſellio inſidentem, et in laeuo genu literas exarantem; E regione eius ſtat, uti equidem coniicio, Theophili loco Imperator, uel Palatinus, pone utrumque tum Lucam tum Imperatorem extat aedificium ſingularis ſtructurae, in duplicem altitudinem exſurgens, in formam duarum turrium, quae muro tranſuerſo cohaerent; Imagini ſcriptoris ſupra adſcriptum eſt: *ο αγιος*

Λουκας

Λȣκας; ſed ad uirum illum Auguſtalem reuertamur. Conſpicitur is brachio ſublato lo- quenti ſimilis, facie ſenili, capillo comto, barba ſubfuſca, eaque fiſſa; caput illius cinctum eſt diademate pretioſo, duplici margaritarum ſerie diſtincto, mitella rubri coloris, in qua quinque margaritae eleganti ordine poſitae nitent; ueſtitu interiori quidem miniatulo; cuius fimbriam in illis partibus, quae collum, manus et pedes tegunt, aurum late circumcurſitat, ut Virgilii uerbis loquar. Velamenta pedum, et tibiarum rubri ſunt coloris, margarit:s ornata, ſuperior ueſtitus, ſiue pallium purpureum dimidia ex parte in tergum reiectum, aureis foliis et floribus pictum, annexam habet faſciam pectoralem, ciamque auream, inciſam et ex altera parte reiectam. Sed quid opus eſt operoſa deſcriptione, quum imago ipſa aeri impreſſa exhibeatur praeſens. In ſuperiori parte, in ſpatio orbiculato MATER DEIPARA, inſidens ſolio, ex nubium congerie forſmto, quod DUO ANGELI ſuſtinent; in terra ſtat



MULIER ſublatis manibus MARIAM anxie reſpiciens; cuius latera ſtipant NOVEM APOSTOLI; ex quibus illorum facies bene dignoſcenda, quorum imago aliis in locis Codicis noſtri occurrit. Id, quod hac pictura continetur, appoſito uocabulo indicatur, ἡ αναληψις aſſumtio Mariae. Feſtum hoc apud Graecos quoque uſitatum fuiſſe, obſeruat LEO ALLATIUS de Eccleſ. libris Seculo VII. iam de Aſſumtione B. Virginis actum fuiſſe memorat Fabricius, Bibliot. Antiq. p. 329. Sequitur ipſe textus, αι πραξεις των αγιων Αποςολων, numero capitum, quorum M. quadraginta numerentur, margini adſcripto, finit librum clauſula: Τελος των πραξεων; finis Actorum. §. XV. Acta

§. XV.

Acta excipit EPISTOLA S. JACOBI, praemiſſa Apoſtoli imagine. Pingitur in ſubſellio, culcitra tecto, cuius ὑποπόδιον, aliis latius, uariis figuris exornatum eſt; potius CATHEDRAM EPISCOPALEM dixeris, conſpicitur S. JACOBUS ſedens, fuſco capillo, et barba acuta, inque duas partes fiſſa, dextram paululum leuans, ſiniſtra membranam, cuius pars aperta, pars inuoluta eſt, tenens, dextram uerſus mulier nudato capite, caeruleo interiori et rubro ſuperiori amictu, in quo albicans quaedam lacinia prominet, manu ſublata, nigris calceis apparet: huic adſtat grauis ſenex, tunica caerulea, et fuſco pallio, cui ſimili modo aurea lacinia aſſuta eſt, cum aliis V. hominibus, ex quibus unius integrum caput, reliquorum ſola caluities eminet, ſiniſtram uerſus uir ipſo aſpectu uenerandus, rubra tunica, et caeruleo pallio una cum lacinia aurea, eiusdemque metalli figuris intertextis indutus conſpicitur; calcei eius, et tibialia albo tincta ſunt liquore; caput tegit mitra rubra, eaque paruula, uix capillorum, qui in altitudinem exſurgunt, apicem tegens. Huic comites adiunguntur tres alii; quorum unus ueſtem gerit, carnis colorem referentem, zona conſtrictam; capiti quoque mitra impoſita, eiusdem, quam modo deſcripſimus, formae; reliqui apertis capitibus. Ut, quid hic hominumcoetus, quo cinctus Jacobus apparet, ſibi uelit, intelligatur, mihi deprehendiſſe uideor formam iudiciorum, in primaeua eccleſia conſuetorum, ubi cauſſa, quae ad gentilium forum non trahi debebat, praeſente Epiſcopo aut Presbytero agebatur, hic enim Jacobus iudicis ſuſtinere perſonam uidetur, ex utroque latere reus et actor, teſtium multitudine ſtipati. A tergo illorum turres, noſtris plane diſſimiles, ſurgunt; in media pictura nomen σ αγιος Ηακωβος. Scriptorem ſcriptum ſequitur, hoc initio Ιακωβε καθολικη Επιςολη. Ambitus totius epiſtolae continetur quinque capitibus.

§. XVI.

JACOBO ſuccedit APOSTOLUS PETRUS, denſo curuatoque albi coloris capillo, et barba canenti. Ipſe ſellae, culcitra oneratae, cuius forma a uulgari plane differt, inſidet, tunica caerulea, et glauco uelamento amictus; dextra CRUCEM DUPLICEM rubri coloris, nunc dictam Hungaricam, ſatis longam, tenens; gremio membrana impoſita eſt; ſiniſtra calamum implet liquore, cuius copia in rotundo uaſculo,

 reli-

Digitized by Google

reliquis omnibus multo maiori, menſae impoſita extat, una cum forcipe et tribus CULTELLIS, quibus uariae ſunt formae, pro uariis, quibus adhibebantur, uſibus: altero enim ſcindebatur membrana; altero radebatur; alio denique poliebatur. Ex pulpito pura pendet MEMBRANA, conſpectui rurſus uaria aedificiorum faſtigia, ex utroque latere poſita ſeſe offerunt, addito nomine αγιος Πετρος S. Petrus. In ſuprema parte, quae ducta linea, uariis coloribus radiante, a reliquo ſpatio diſtinguitur, in HEMICYCLO quodam ſimilis figurae obſcurum aedificium patet, turribus munitum, cuius aedificii utraque turris aediculam quandam, cuſtodum domicilium, habet annexam; altera feneſtra aperta, altera clathrata; intra ipſum aedificium Petrus, corpore paullulum inclinato, ſubſellio ſtragula tecto, inſidet; cuius manus et pedes CATENIS, in terram decidentibus, reuincti ſunt; ad quem ANGELUS, limen ingrediens caerulea tunica et carnei coloris pallio, baculum rubrum, cuius ui tacta uincula apparent in duas diſrupta partes, manu tenens accedit, adiecto nomine αγιος Πετρος. Hanc picturam ſubſequuntur duae EPISTOLAE PETRINAE; quarum prima ſub titulo Πετρου Καθολικη επιςολη octo, et altera tria continet capita.

§. XVII.

Petrum excipit JOHANNES; cuius imago, grandaeuum ſenem exprimens, cum in omnibus ſuperiori imagini ſimilis ſit, nos non morabitur. Inſidet cathedrae, ex ſtramentis mira arte contextae; ſuperne aliquantum incuruatae, ceterum tanta altitudine, ut caput inſidentis excedat; eiusdem Johannis inſidentis manus, genu impoſitae quieſcere uidentur; cum quaſi ſcribendo fatigatus, calamum, quem dextra tenet, condere ac reponere uideatur; in conſpectu eius ſtat SCRINIUM, ex parte patens, in quo, praeter tres libros, VASCULUM ROTUNDUM, rubro liquore repletum, et duo cultelli; SCISSORIUS nempe, et LAEIGATORIUS iacent, e media arca eminet *tortile lignum*, cui immititur patens *Volumen*, literis deſtitutum; ad latus utrumque duo conſpiciuntur aedificia, ex quorum altero inuſitatae ſtructurae turris eminet. In ſuperiori parte, quam rubra linea ab inferiori dirimit, arx cernitur munita, et mons praeruptus: utrumque alluit mare, fluctibus feruens, quod nauis antiquae formae, albis uelis expanſis, ſecat; in puppi uir rubram ueſtem gerens, nauem gubernaculo regit; in prora ſedet *Johan-*

Digitized by Google

hannes, et ſpatio exiguo interiecto, *Prochorus*, ſubſcriptis uerbis νεξοι νατου Θεολογου Senſus horum uerborum nosfugit, ex pictoris enim ignorantia adeo miſere expreſſa ſunt, ut, quid ſibi uelint, ne diuinando quidem aſſequi liceat. EPISTOLA ipſa ſancti *Johannis prima* quidem quinque capitibus; ſecunda et tertia ſingulis conſtat.

§. XVIII.

Sequens pictura, reliquis minor, quatuor ſemicirculis concluſa, cum reliquum quadranguli ſpatium figurae leporum et leonum expleant, exhibet APOSTOLUM JUDAM, ſubfuſco capillo et barba promiſſa, expanſis manibus, tunica caerulea, et amiculo carnei coloris ſtantem, alta quaſi admiratione defixum: ex manu tres digiti, pollex, index, et auricularis, reliquis ſuppreſſis, eminent; adiectum eſt mala ſcribendi ratione, ut iam in Jacobo factum eſt, ſcriptoris nomen, Ηαδας. Obuerſatur Apoſtoli oculis SALVATOR NOSTER dulciſſimus, e coelo, ſtellis nitido, corpore dimidiato, quod nigro ueſtitu uelatum eſt; protenſa manu proſpiciens, colloquenti ſimilis, adiectis literis Iσ Xσ. a tergo mons, duabus arboribus conſitus, in proximo pulpitum cum expanſa membrana, et, in ſpatio remoto, turris: arcem, et inſtrumenta ſcriptoria, cum ſaepius occurrant, non memorabimus. EPISTOLAE JUDAE, quae ſequitur, tria ſunt capita; et in illius fine occurrunt haec uerba; Τελος των Καθολικων επιςολων, Finis Epiſtolarum Catholicarum.

§. XIX.

Epiſtolis catholicis PAVLINAE ſuccedunt, de quibus antequam exponam, *imaginem Apoſtoli PAVLI* paucis delineabo. Exhibet illam pictura, prioribus ſimilis, niſi quod in apice ſemicirculata ſit: ſedens in ea conſpicitur Apoſtolus, tunica caerulea, et pallio carnei coloris uelatus, ſubfuſco capillo, barba acute deſinente, caluus in ſincipite, in ſella adminiculis carente, et quatuor pedibus innitente, ac rubra auroque uariegata culcitra ſuperbiente; gremio eius Volumen impoſitum eſt; ipſe calamum intingit in areulam oblongam, in menſula quadrata collocatam, in qua duo ſtant rotunda uaſcula, rubro et nigro, praeterea alia duo minora, caeruleo et rubro liquore repleta. Adſunt etiam duo cultelli, et forficula; e menſa prominet pulpitum editum, media parte rubro colore infectum; in eo longa membrana, utrinque dependens; in utroque angulo duo aedificia; adſcripto nomine, αγιος Παυλος; S. Paulus. Supra

memoratus HEMICYCLUS ſiſtit circuitu ſuo coelum, et Seruatorem, cuius ſanctiſſimum nomen literis albescentibus ΙΣ ΧΣ expreſſum eſt; ex quo lucidus radius PAULI, ſeſe inclinantis, faciem illuſtrat; medium, montes et arbores; et oras extremas, caſtella munita, occupant; ex quorum uno, dextram uerſus, VIR QUIDAM, cui coma et barba candida, tunica caerulea, et pallium uiridans dextram, tanquam Apoſtolo auxilium laturus, protendit. In margine, eo loco, ubi hemicyclus incipit, duo uaſtae magnitudinis aenea candelabra, cum flauis cereis, iisque ardentibus, candelis, proſtant. Cuiusmodi candelabra Gallorum ore, GUERIDONS, nominantur. Seruat talem cereum aeneum Romanum PER ILL. POSSESSOR in ſupellectile ſua antiquaria. Sequitur initium EPISTOLAE AD ROMANOS, his uerbis: *Του αγιου αποϛολου Παυλου Επιϛολη προς Ρωμαιυς*, S. Apoſtoli Pauli ad Romanos et poſt Ι Θ. 19. CAPITA, quibus haec epiſtola concluditur: *Τελος της προς Ρωμαιους επιϛολης*, finis epiſtolae ad Romanos. Ordine iam ueniunt *reliquae epiſtolae Paulinae*, quarum capita annotare licebit. Numerus quidem capitum cum indice Milliano ſemper et ubique fere conuenit; niſi quod apud Millium *prior ad Theſſalonicenſes*, ſeptem; ad *Philemonem*, duo; *ſecunda Petri*, quatuor; *prima Johannis*, quinque; *ſecunda*, duo, et *tertia*, tria capita, numeret. In noſtro Codice *epiſtola ad Corinthios prima* octo conſtat capitibus. Illis uerbis], *γνωριζομεν υμιν αδελφοι*, notum uobis facimus, dilecti fratres, recentiori manu, atro liquore, appicta eſt litera Θ. *Altera ad Corinthios* ΙΑ. XI. *ad Galatas* ΙΒ. XII. *ad Ephesios* Ι. X. *ad Philip.* Ζ. VII ad *Coloſſ.* Ι. X. *prior ad Theſſalonicenſes*, Ε. V. *poſterior*, ϛ. VI. *prior ad Timotheum*, ΙΗ. XVIII. *poſterior* Θ. VIII. *ad Titum* ϛ. VI. CAPITA complectuntur. *Epiſtola ad Philemonem*, nullo capitum numero inſtructa eſt; *Epiſtola ad Hebraeos* quae diſertis uerbis ipſi *attribuitur*, *προς Εβραιους επιϛολη* ΚΒ. XXII. Capita continet.

§. XX.

Finito Codice, exſtat formula conſueta *Δοξα τω Θεω παντων ενεκα, αμην*: Gloria ſit DEO propter omnia, Amen. In ultima pagina, quidam huius Codicis poſſeſſor, ſeculo decimo quinto, annos a Chriſto nato ex aera Latinorum numerans, menſem et diem, quo quisque liberorum

tum ſuorum hanc lucem aſpexerat, adiectis tum Suſceptorum, tum Eccleſiae miniſtrorum, a quibus infantes fonte ſacro abluti fuere, nominibus, conſignauit, quamuis ſcriptura maxima ex parte deleta et extincta ſit. Similis annotatio temporis liberorum natorum exhibetur a *Montfauconio, Palaeogr. Graecae,* p. 62. nec a noſtris temporibus alienum eſt, inprimis apud tenuioris ſortis homines, indicem liberorum natorum Cod. Sacro aut Commentario cuidam Euangeliorum, Poſtillae alias uocantur, inſeri. Claudit librum SYMBOLUM NICAENUM, aureis litteris exaratum, *το Θειον συμβολον της ορθοδοξυ πιςεως εκτεθεν παρα των εν Νικαια αγια συνοδω αγιων πατερων,* diuinum Symbolum orthodoxae fidei, editum Nicaeae a ſanctis patribus in ſynodo ſacra cuius quinque ſunt diſtinctiones:

1. *Πιςευω εις ενα Θεον, κ. τ.λ.*
2. *Και εις ενα Κυριον* IN. XN.
3. *Τον δι ημας τους ανθρωπους.*
4. *Και εις το πνευμα αγιον.*
5. *Ομολογω εν Βαπτισμα.*

Margini adiecta ſunt graeca uocabula, rationes perſonales, quibus perſonae diuinitatis diſtinguuntur, exprimentia *αγεννητως, γεννητως* et *εκπορευτως*. Quibus uocabulis Criticorum ſignum eleganter et bis appictum eſt, ſolem referens in fundo caeruleo, ora extrema aurea, medio aureis punctis diſtincto, qui emittit radium. Rariſſime hoc ſignum occurrere teſtes ſunt Eſchenbachius, qui in diſſert. de ueterum Criticorum *Σημειωσει* illius ne uerbulo quidem meminit, et Montfauconius, qui quidem illud deſcripſit, ſed nullo adducto exemplo illuſtrauit. Vocatur autem iſtud ſignum *Ηλιακον*, ſignum ſolare, et adhibetur in illis locis, ubi de Theologia diſſeritur, quia in diuinis Scripturis DEUS, ſol iuſtitiae uocatur; En uerba Graeca: *Ηλιακον, τυτο το σημειον τετακται εν οις χωριοις περι Θεολογιας ο πατηρ διαλεγεται, δια τον ηλιον της δικαιοσυνης εν ταις θειαις γραφαις τον Θεον ονομαζεσθαι.* Illis uerbis *τον δι ημας τυς ανθρωπυς,* qui propter nos homines cet. aliud additum eſt ſignum, ſtella nimirum, in fundo caeruleo punctulis quatuor interciſa, quam aureus ambit circulus. Aſteriſcus uocatur, cuius ſignificatio ex mente Euſtathii inter alias haec fuit, ut, uerba iſta, quibus adhaeret, hoc in loco peroptime poni, ac uelut effulgere, indicaretur, cf. Eſchenb. diſſ cit. §. VIII. Magis mihi arridet ſententia Calligraphi cuiusdam in Codice Ba-

 ſiliano.

Digitized by Google

ſiliano, Romae, qui eſt XI. ſaeculi et S. Gregorii Nazianzeni opera complectitur, citante Montfauconio Palaeogr. Graeca p. 371. hunc aſteriſci uſum docentis: *ο αϛερισκος ȣτος τετακται εν οις χωριοις ο Θεολογος περι της ενσαρκȣ οικονομιας τȣ μεγαλȣ Θεȣ και σωτηρος ημων Ιησȣ Χριϛȣ διαλεγεται δια τον φανεντα τοις Μαγοις Θειον αϛερα.* Hic aſteriſcus ponitur in locis, ubi Theologus de carnali oeconomia magni DEI et Saluatoris noſtri JESU Chriſti loquitur: propter diuinam ſtellam, quae Magis apparuit. Quam bene huius ſignificationis ueritas, ex Codicis noſtri memorato loco probari poteſt!

§. XXI.

Codicis noſtri argumentum hucusque recenſuimus; ad tertium itaque opellae huius caput tranſirem, niſi *obſeruationes quasdam rem criticam et philologicam illuſtrantes* hoc loco interponere, e re noſtra uiſum eſſet. Sunt illae omnes, inter frequentem Codicis lectionem, enatae, et lectoribus, harum deliciarum cupidis, minime ingratae futurae. Ductus et forma literarum, quibus textus noui foederis exprimitur, ſic inter ſe differunt, ut exempli gratia, litera E. quadruplici diuerſa occurrat forma. Id quod eam ob cauſam obſeruo, ut inde appareat, quam lubricum ſit argumentum, niſi et reliqua uериſimilitudinis ſigna concurrant, ſi quando ex literarum ductibus aetas codicis alicuius manuſcripti colligi ſolet. Alphabeta enim omnium formarum, minorum ſcilicet, quae ſeculo VIII. et IX iam occurrunt teſte Montfauconio quaeque laudatus Montfauconius, Pal. gr. p. 336. ſecundum aetatis ordinem diſpoſuit, ſingula, paucis exceptis, non ſolum occurrunt in codice noſtro; ſed et aliquod nouarum ſupplementum facili negotio colligi poteſt. Ex iis uero formis, quae hodie quotidiano uſu cognitae ſunt, minime inuenies hodiernam formam literae β. μ. η. ν. π. ϱ.; literae ι. et υ, quando alteri uocali non adiunguntur, nec diphthongum efficiunt, ad lectorum, maxime imperitorum, commodum, punctis ſuperne notantur diaereticis: tantum uero abeſt, ut haec puncta nouitatem Codicis prodant, ut potius, teſte MONTFAUCONIO, ab annis plus mille, in quinti ſextiue ſeculi codicibus, literas has his punctis notatas deprehendamus, conf. Pal. gr. p. 33. Litera β. paſſim per μ. effertur, quae forma teſte Montfauconio frequentiſſime in Codicibus a nono ſeculo paſſim occurrit Palaeogr. p. 263. et 335. et, hinc, dum a Librariis ſaepe pro υ. habebatur, magnam errandi materiam praebuit, et cum in-

integra ſaepius uocabula minus bene arcteque cohaereant, non raro temere diuulſa ita, ut antecedentis uocabuli finis, ſequentis initium proxime attingat; dubius atque incertus pendeo, utrum Codex noſter ex alio deſcriptus, an potius ex ore dictantis, calamo exceptus fuerit? Saepius laudatus MONTFAUCONIUS, Palaeogr. p. 32. idem obſeruauit in Codicibus uoces, ſpatio interpoſito diſtinctas duas eiusdem uocis ſyllabas, pari intercapedine ſeiunctas, ita, ut nonnunquam prior ſyllaba cum praecedenti uoce, poſterior cum ſequenti, coniungatur. ABBREVIATIONES, ſiue compendia ſcribendi, quibus graeci calligraphi a ſeculo nono, uſu literarum uncialium exſpirante, frequenter uſi ſunt, adeo ſingulares conſpiciuntur, ut et in hoc genere, poſt largam MONTFAUCONII meſſem, ſpicilegium inſtitui poſſit haud infecundum. Supra memorauimus aureas unciales literas, textum quidem reſpicientes, ſed extra illum in margine poſitas; quarum de ſignificatione nunc ſententiam noſtram in medium proferre licebit. Conſpiciuntur tres illarum in ſpecimine Johanneo, aere expreſſo et huic opellae adiecto. Adiiciuntur illae lineae, quae antecedentem periodum finitam immediate excipit: hinc, pro diuerſa periodi clauſula, modo ſub initium, modo in medio, modo ſub finem uocis, deprehenduntur; interdum noua ſubſequens periodus ab illis ſumit initium. Conſentit, quod inuenta iam hypotheſi demum obſeruauimus, doctiſſimus MONTFAUCONIUS *Palaeogr. gr. p. 27.* Hic enim animaduertit: Graeci librarii, *cum abſoluta periodo, interpunctione maiorem diſtinctionis notam afferre nolunt; ubi uidelicet nos a LINEA, ut dicitur, reſumimus; appoſita maiori interpunctione, conſequenter eadem in linea, ſequentem, ſiue articulum, deſcribere incipiunt, ſine alia nota, uel diſtinctione; ſed in ſequenti linea, ſiue per uocem, ſiue per ſyllabam, inchoetur, literam maiuſculam, qua initur uerbum, aut ſyllaba, in margine et extra columnam ponunt.* Id quod exemplo ex codice San Germanenſi noni ſeculi, ubi in martyrio ſancti EUSIGNII, unica litera λ, extra columnam poſita eſt, illuſtrat. Quia uero de diuiſione contextus Noui Teſtamenti, per eiusmodi literas facta, nihil omnino memorauit, Montfauconius, modus ipſe uero, textum ſic interpungendi, inſolitus et plane ſingularis, accuratiorem diſquiſitionem meretur; numerum harum literarum, quotquot in quouis noui Teſtamenti libro extant, inire, et

indi-

indicem huc transferre, tanquam nouam meditationum et diuinationum materiam, non inutile exiſtimaui. Euangelium itaque Matthaei harum literarum 324 complectitur, Marci 208. Lucae 346. Johannis 360. Acta-Apoſtolorum 324. epiſtola Jacobi 33. Petri prior 33. poſterior 21. Johannis prima 33 ſecunda 4. tertia 4. Judae 9. epiſt. Pauli ad Roman. 121. prior ad Corinthios. 112. poſterior ad Corinth. 78. ad Galatas 39. ad Epheſios 42. ad Philippenſes 29. ad Coloſſenſes 31. prior ad Theſſalonicenſ. 27. poſterior 15. ad Timotheum prior. 33. poſterior 23. ad Titum 15. ad Philemonem 6. ad Hebraeos 93. Hic habes numerum diſtinctionis noui Teſtamenti, plane ſingularis, et, quantum ego ſcio, haud alibi memoratae.

§. XXII.

Praeter hanc diſtinctionem, alia quoque in Codice noſtro deprehenditur per craſſa aurea puncta; quae modo ipſum afficiunt contextum; modo, ubi initium lineae et nouae periodi coincidunt, extra lineas conſiſtunt, indicata, quorum in Matthaeo LXXI. in Marco XXI. in Luca XXXV. in Johanne LVIII. in Actis Apoſtolicis XXXII. in Epiſtolis, Jacobi XI, Petri I, II, II. - Johannis I, III. II. - III. - Judae - Pauli ad Romanos XIV. ad Corinth. I, XXI. II. XII. ad Galat VIII. ad Epheſios VI. ad Philipp. IV. ad Coloſſenſes V, ad Theſſalonicenſes I. et II. - ad Timotheum I, III. II, III. ad Titum II, ad Philemonem - ad Hebraeos XIX. occurrunt. Ad reliquas diſtinctiones quod attinet, celeberrimus *Mabillonius Diario Italico p. 13.* de codice *orationum Gregorii Nazianzeni,* cuius aetas in ſeculum nonum incidit, et qui in bibliotheca Ambroſiana obſeruatur, refert, eum habere puncta ad imum literarum, pro maiore; ad ſummum pro media; ad medium pro minima interpunctione; ſed idem obſeruat, uix certum manere criterion, cum iſta puncta perſaepe non pari ritu procedant. Apud Graecos haec interpunctionis ſpecies uocantur 1) *Τελεια ϛιγμη*, punctum collocatum in apice literae, abſoluens integram ſententiam, et noſtro puncto reſpondet 2) *υποϛιγμη*, ſiue *υπ: τελεια ϛιγμη*, punctum ad imam literae partem locatum, ſententiam ſuſpenſam indicans, commati noſtro ſimile; 3) *μεση ϛιγμη*; punctum ad literam mediam poſitum, ſpiritui inſtantem remiſſionem promittens, cum noſtro colo colludens. Apud Latinos prima uocatur diſtinctio; ſecunda ſubdiſtinctio; et tertia mediana. In noſtro codi-

ce

ϛε τελεια ϛιγμη ſaepius extat maiori relicto ſpatio; υποϛιγμη et μεση rarius. *Signa interrogandi*, quae teſte *Montfauconio*, *p.* 31. in codicibus noni, decimi et undecimi ſeculi habentur, ſaepius occurrunt, et fere ubique poſt uerbum, λεγω, adduntur; nec *commata* ſiue uirgulae, quae priſcae uetuſtatis ſunt, in codicibus graecis annorum plus mille obuiae Palaeogr. p. 32. deſunt accentusue in noſtrum morem efformati; niſiquod *circumflexus* annuli dimidiati referat figuram. Accentuum autem Graecorum, quos Ariſtophanes Byzantius inueniſſe perhibetur, uſum ſeculo VII. poſt Chriſtum natum inualuiſſe teſtatur Montfauconius l. c. p. 33. et 215. qui etiam in ſpecimine aere expreſſo figuram circumflexi, noſtro ſimilem exhibet p. 216. Caeterum, exceptis his, quae memorauimus, ſignis, contextus una ſerie cohaeret, ac proinde non uana eſt coniectura, Codicem noſtrum, cuius quippe et forma ſolito minor eſt, in uſus priuatos praepotentis cuiusdam uiri fuiſſe concinnatum.

§. XXIII.

Licet uero hicce Codex ſumma induſtria, decenti ordine, et magna ακριβεια, omnino exaratus ſit; tamen quaedam in eo omiſſa et transpoſita ſunt; pauca quidem, et quae uel lynceos oculos effugere poſſent, neque ab eo, qui remotiori aetate corrigendi Codicem et cum aliis conferendi laborem ſuſcepit, neque a JOASAPHO, qui eum eccleſiaſtico uſui attemperauit, obſeruata: Cum tamen JOASAPHUS JOHANNIS cap. VIII. in praetermiſſa hiſtoria adulterae, uerbis ſecundi commatis, και καθισας εδιδασκεν αυτȣς, et ſedens docebat illos, uerba commatis 12. omiſſa, παλιν ȣν ο Ιησȣς αυτοις ελαλησε, iterum ergo JESUS cum eis collocutus eſt, in margine adſcripſit. In epiſtolae Pauli *ad Ephesios* cap. I. commate duodecimo, uerba ultima: Τȣς προηλπικοτας εν τω χριϛω, integrum comma decimum tertium, et uerba commatis decimi quarti usque ad uocem: εις απολυτρωσιν της περιποιησεως plane omiſſa ſunt. Cauſa omiſſionis in procliui eſt; cum enim, commate 12. et commate 14. uerba: εις επαινον της δοξης αυτȣ, occurrant; facile fieri potuit incuria aut calligraphi, aut eius, qui ad calamum dictauit, ut oculi a ſuperiori commate deſilirent ad inferius. Sed et hic error ad detegendam alius erroris originem nobis uiam ſternit. Eodem enim pacto notiſſimum illud comma Johanneum 1. Joh. V. 7. quod quidem et in noſtro Codice deeſt, quo myſterium S. S. Triados confirmatur, ob ſimile initium ſubſequentis commatis: Τρεις εισιν οι μαρτυρȣντες, in tot codicibus

omnium

omiſſum fuit. Unicum quoque exemplum reperire licuit loci cuiusdam, loco ſuo moti, et in alium traiecti ſub finem epiſtolae ad Romanos cap. 16. commata 25. 26. 27. omiſſa, et fini cap. 14. poſt uerba, παν δε, ο ουκ εκ πιϛεως, αμαρτια εϛιν, annexa ſunt. Obſeruauit uero clar. BENGELIUS, in *apparatu ad nouum Teſtamentum pag.* 657. hanc tranſpoſitionem in multis aliis codicibus, in uerſione Sclauonica, et apud multos Patres, item et in omnibus *lectionariis* deprehendi: qui etiam factae mutationis cauſam adiunxit. *Videntur*, inquit, *graeci, ne lectio publica in ſeueram ſententiam*, quidquid non eſt, ex fide peccatum eſt, *deſineret*, *id feciſſe.*

§. XXIV.

Cum noſter Codex ϛιχηρως minime ſcriptus ſit; difficilis foret labor, et fere impoſſibilis, ϛιχομετριαν uarietate ſua ſemper fluctuantem certis et indubitatis ſuperſtruere regulis. In iis codicibus, qui in eccleſia publice uſurpantur; exempli gratia, in EUANGELISTARIIS, quorum tria infra excitabimus, ϛιχοι rubro crucis ſigno indicantur. Equidem hanc fouebam ſententiam, ϛιχους deſignari in noſtro Codice, ſpatio poſt τελειαν ϛιγμην relicto; quod interdum ſic extenditur, ut JOASAPHUS compendia uocum αρχη, τελος, et υπακοη, commode inſerere potuerit. Confirmabar in hac opinione, cum animaduerterem, ſemper aureis illis literis, quas in margine conſpici ſupra diximus, ubicunque occurrant, reſpondere punctum clauſulae periodi antecedens. Verum enimuero, cum tantum ſub initium EVANGELII JOHANNEI usque ad 16. comma cap. primi, eiusmodi maiora puncta minio illuſtrata, manu eius, qui ſupra hebdomadem ſeptimam adiecit, numero 18. appareant, conf. ſpecimen textus aere delineatum, ubi haecce puncta modo aureis punctis adiuncta modo iis obliterata eſſe uidebis; cum tamen alias 23. ϛιχοι numerentur; aut ſententiam cogneaui eſſe, minus accuratam, aut ϛιχομετριαν, quod ſupra monui, lubricam et incertam. S. HIERONYMUS produxit ex epiſtola ad Romanos 8. commata, conf. STOLBERGIUM in *exercitationibus graecae linguae*, p. 337. quae ex hodierna diſtinctione quinque commata, a 13. usque 18. conficiunt, et illa Hieronymi diſtinctio, cum ea, quae ex hypotheſi mea de ſpatio maiori poſt τελειαν υποϛιγμην fluit, ex amuſſi conſpirat. In noſtro igitur Codice, ut, quae huc ſpectant, breuiter proponamus, quinque diſtinctionis genera occurrunt: primum

ſit

fit in CAPITA. Alterum ſecundum CANONES EUSEBIANOS in quatuor euangeliis, LITERAE enim NUMERALES, Canonibus hiſce appictae, et SYNAXARIUM illis praemiſſum, mutuo ad ſe inuicem referuntur. Hinc PERICOPAE citatae in quatuor Euangeliis, non ſecundum CAPITA; ſed ſecundum LITERAS MEMORATAS euoluendae erunt. Tertium genus diſtinctionis indicatur per MAIORES, ſub lineae cuiusdam principium poſitas, LITERAS. Quartum conſtituitur per AUREA PUNCTA, partim in margine, partim in ipſo contextu conſpicua. Quintum, tantum ſub initium euangelii Johannis, ſecundum *puncta minio in ipſo contextu expreſſa.*

§. XXV.

Nequis mihi uitio uertat operoſam illam ueſtium, barbarum, capillorum, inſtrumentorum, et colorum deſcriptionem; licebit mihi huius induſtriae exponere cauſas. In genere annotaſſe ſufficiat, ſtudium antiquitatum melius et felicius procedere, ubi res explicantur per ſigna et imagines, aere accurate ſculptas, quam per longas uerborum ambages. Sic, per ſingula eundo, ex antiquitatibus domeſticis *formam ſolearum*, quas Graeci *ſandalia* uocant, *calceorum*, gr. *υποδημάτων*, *tibialium*, *tunicarum*, *palliorum mitellarum candelabrorum* ex ſupellectile libraria figuras *librorum*, *codicum*, *uoluminum*, *arc ularum*, *pulpitorum*, *calamorum*, *atramentariorum*, *cultellorum etc.* ex antiquitatibus eccleſiaſticis, imaginem *crucis duplicis*, *baptiſterii*, *ſedium epiſcopalium*, *ſarcophagorum etc.* et denique ex antiquitatibus publicis, ſtructuram *aedificiorum*, *nauium*, *diadematum etc.* quae omnia longo ordine enumerare nihil attinet, ope harum picturarum clarius et diſtinctius cognoſces, quam ex libris, ubi nudis tantum uerbis deſcribuntur. Optandum modo foret, ut in delineatione harum picturarum, ea, quae arti heraldicae familiaris eſt, methodo, quam in ea, quae THEOPHILI locum occupat, imagine delineanda ſeruauimus, colorum uarietas per certas lineas exprimi potuiſſet; ſed, cum per tales lineas, perfecta ſimilitudo, quam omnibus, uiribus aſſequi ſtudebamus, impediretur, quod ſculptoris manu indicari non licebat, uerborum ope expreſſimus. Veſtium autem exacta deſcriptio adeo non inutilis eſt, ut potius ex ueſtium forma et colore aetas et ſeculum alicuius rei dignoſci poſſit. Hinc iam

Digitized by Google

in uotis habuit celeb. Eccardus in explicatione cimeliarchii, quod Poſſeſſor huius Codicis ſeruat, ut aliquis de re ueſtiaria commentarium numeris ſuis abſolutum, et per omnia ſecula deductum conſcriberet. Qua occaſione collectionis, duobus libris digeſtae mentionem faciam, in qua ab anno MCCCLXXXVIII. imagines et habitus omnium Praefectorum, Diſpenſatorum et XII. alumnorum, qui ſenio confecti et paupertate preſſi ad praeſens usque tempus ex beneficio Menteliano, cuius adminiſtratio iam penes ILLUSTRIS CODICIS POSSESSOREM eſt, nutriuntur, uaria pictura, diuerſisque coloribus delineantur, ſic quidem, ut in tanta cultus ueſtiumque et inſtrumentorum mechanicorum uarietate oculus ſpectando uix ſatiari queat. Rei illuſtrandae cauſa ſumamus exemplum e noſtro Codice. Attentionem meretur, quod iam ſupra monuimus, HABITUS IMPERATORIS illius, ACTIS APOSTOLICIS cum Lucae imagine praefixi, cuius pallio uiolacei coloris lacinia ex aureo panno pectus dimidia ex parte tegens, aſſuta eſt. Eadem panni particula in uiris duobus e ſarcophago ſurgentibus, et diademate cinctis, in PICTURA JOHANNEA, ut et in aliis duobus uiris, JACOBO aſſidentibus, obſeruatur. Iis, qui monumenta antiquitatis a MONTFAUCONIO, et BANDURIO collecta, attento oculo perluſtrarunt, minime ignarum eſſe poteſt, hominibus dudum e uita egreſſis a pictoribus talia aſſignari ueſtimenta, qualia pictorum aetate communis uſus erant; ac proinde tunc inprimis, ubi alia κριτηρια concurrere uidentur, ceteris paribus ſatis congruenter ex ueſtibus ad aetatem concludi licet. Quod itaque ad praefatam laciniam attinet, eadem conſpicitur in imagine Imperatoris, THEODOSII MAGNI, habitu ſollenni ac uere auguſtali conſpicui; cum is concilio generali ſecundo Conſtantinopolitano praeeſſet; quam ANSHELMUS BANDURIUS commentario in ANTIQUITATES CONSTANTINOPOLITANAS, L. VIII. et quidem ſecundum Pariſienſem editionem, pag. 935. ſecundum Venetam, p. 647. ſiſtit, hoc tantum diſcrimine, ut lacinia in noſtro Codice non tam late ſplendeat, quam apud Bandurium, qui ectypon imaginis ſumſit ex Codice Regio Gallico membranaceo *orationum Gregorii Nazianzeni* numero 1809. quem *Montfauconius*, qui eius quoque meminit, *Palaeogr. gr. p.* 250. ob ſingularem elegantiam, et uere imperatoriam magnificentiam, ad uſum Imperatoris Baſilii, et domus Auguſtae, confectum fuiſſe aſſerit.

Digitized by Google

rit. Vixit uero hic Imperator Baſilius ſeculo nono, et imperium orientale adminiſtrauit ab anno 867. usque ad 886. In laudati Montfauconii catalogo *bibliothecae Coislinianae* memoratur Codex numero 89. in quo p. 134. Imperator, NICEPHORUS BOTONIATA, ſiue, prout alii ſcribunt, BOTONEATA, cuius imperium incidit in ſeculum XI. ab anno 1078. usque ad annum 1085. pallio ſuo reiecto eiusdem generis laciniam gerit annexam; quae clarius adhuc in ueſtitu Palatini, illi adſtantis, apparet; quippe qui duas anteriores pallii partes, tunicam arctius tecturus, colligit, et ſic conſtringit, ut partes optime inter ſe cohaereant. Nomen huius pannaceae particulae, tum graecum, tum latinum, nondum inuenire potui. Id ex ante allatis imaginibus apparet, hominum ſeculo nono, decimo et undecimo uiuentium, ueſtes ea conſpicuas fuiſſe. Quo uero anno uſus huius laciniae coeperit, quoue deſierit, me in tanta harum antiquitatum caligine, ignorare plane confiteor.

CAPUT III.

§. I.

Satis ſuperque hucusque Codicis noſtri, tum interiorem, tum exteriorem deſcripſimus habitum, nilque fere eorum, quae annotari merentur, omiſimus; ſupereſt, ut paucis, quae utilitas ex Codice ſperanda ſit, quique inde fructus, tum ad rem literariam, tum ad ſacram redundare queat, cum orbe erudito communicemus.

§. II.

Rei literariae, inprimis criticae, et antiquariae, quaenam augmenta accreſcere poſſint, ex ſuperioribus iam liquet. Nimirum, ut paucis repetamus, nouae literarum graecarum formae, et ABBREVIATIONUM natae, in eruditiſſ. MONTFAUCONII opere omiſſae, hinc locupletari facile poſſunt. Addo quoque pronunciandi rationem uel ex erroribus pictorum colligi poſſe, cum enim corrupta ſcribendi ratione nomina Ηλίας et Ηακωβος expreſſa ſint, medio aeuo literam H. uices τῦ I. ſuſtinuiſſe facile apparet. Taceo denique tot figuras ueſtium, et rerum antiquarum imagines, quas ex hoc Codice colligere licet.

 III. Mit-

§. III.

Mittamus haec, et, quid ſigillatim rei ſacrae accedere poſſit, conſiderabimus. Cum enim Codex noſter nunquam in terris germanicis antea extiterit, et tamen cum antiquiſſimis manuſcriptis, quae Millius recenſuit, multis in locis conſentiat; hucusque uero cum nullo alio Codice integro MSto. inſtituta collatione, comparatus fuerit: ſuffragiis eruditorum haec quaeſtio ſubmittitur a illuſtr. Codicis Poſſeſſore: utrum conſultum ſit et reip ublicae literariae expediat, codicem hunc in formá quadra, typis, prout quidem hodie apud nos in Graecis uſurpantur, exſcribendum dari. Illarum enim literarum, quibus Codex exaratus eſt, formam et uarietatem optime ex ſpecimine, multa induſtria aere expreſſo, cognoſcere licet. Id autem maximopere curandum eſſet, ut *abbreuiationum* notae, ſpatia maiora et minora, diſtinctionum, ſigna puncta, uirgulae et accentus diſtincte et tam accurate exprimantur, ut a Codice ipſo nulla ex parte recedatur. Quam ob cauſam uerſus uerſui, linea lineis, et paginae paginis, ſi id commode fieri poterit, reſpondeant, adiecto capitum et *canonum* quoque numero.

§. IV.

Maioris utilitatis cauſa Codex noſter cum aliis Codicibus partim omnes N. T. libros, partim integra 4. euangelia, partim EVANGELISTARIA continentibus, qui aut nondum noti, et in uſum uariarum lectionum adhibiti fuerunt, aut quorum authentica copia haberi poterit, inſtituta collatione comparabitur. Licet enim eruditi ad quosdam Codices prouocauerint; tamen, cum neſciamus, utrum ipſi ſuis oculis eos inſpexerint; an collatio ab aliis debita induſtria peracta ſit, haud ſuperuacaneus erit labor hoc ſaxum denuo uoluendi. Coepta iam eſt huius operis tela, et comparatio noſtri codicis cum ſex aliis inſtituta. Non abs re erit, horum codicum notas et ſingularia momenta paucis recenſere, ſimulque publica occaſione demiſſum et gratum iis declarare animum, qui nobis petentibus haec cimelia literaria liberali manu lubentesque, conceſſerunt. Publice itaque praedicanda eſt SERENISSIMI DUCIS SAXO-GOTHANI inſignis manificentia; cui debemus uſum EUANGELISTARII, forma maxima, uiro quidem celeberrimo et de re ſacra ac literaria optime merito D. CYPRIANO annitente et conciliante, qui in ſuo Catalogo BIBLIOTHECAE GOTHANAE, p. 43. plura de hoc codice re-

Digitized by Google

refert. Quam primum iſte codex in manus eius, cui hoc debemus, perueniſſet, ſtatim, quae ſingularis memoriae eius felicitas eſt, ſe quondam, cum itineribus obeundis uacaret, comite TENZELIO, quem forte apud MORELLIUM Arnſtadii offenderat, huius codicis memorabilia annotaſſe, et admiratum fuiſſe poſt tot luſtra grata recordatione in mentem ſibi reuocauit. Nec tacenda eſt beneuolentia incluti SENATUS AUGUSTANI; quippe qui uenerando miniſterii Seniore, URLSPERGERO, procurante, uſum TRIUM CODICUM his uſibus benigne permiſit. Primus rubro et atro colore exaratus continet 4. Euangelia; alter forma minori, ab initio et in fine mutilatus, Euangelium Matthaei, et initium Marci, literis minutis una arcta que ſerie cohaerentibus, et nulla interſtinctione ſeparatis. Lectiones margini adſcriptae aliam, eamque recentiorem, prae ſeferunt manum. Tertius euangeliſtarium complectitur forma maxima, ſingulis paginis in duas aequales partes diuiſis, literis maioribus conſignatus, uſui eccleſiaſtico aptatus, et literis illis membranaceis maioribus, in quibus cantica notis muſicis inſignita ſunt, ſiue HYMNARIIS non diſſimilis. Superimpoſitae quoque huic EUANGELISTARIO ſunt rubro colore notae muſicae. ILL. POSSESSOR has notas in antiquis quoque latinis codicibus uſitatas attento oculo conſiderans, ſententiae, quam diu fouerat, nouum robur ſibi inuenire uiſus eſt. Quemadmodum enim Turcae ornamenta ductusque uariegati, qui in illorum libris conſpiciuntur, a Graecis deuictis acceperunt, ita etiam notas muſicas ab illis ſumſerunt mutuas. In eiusdem Bibliotheca extat Codex forma quadra nitidiſſime et elegantiſſime ſcriptus ora paginarum latiſſima Alcoranum nigro liquore exaratum complectens, in quo praeter accentus Arabicos literis additos, et rubri coloris puncta, Suratis praefixa, eiusmodi notae muſicae rubrae, quae tamen in omnibus Codicibus non reperiuntur, animaduertuntur, quam ob cauſam illae adiectae fuerint uariae huc usque fuere opiniones. Ante aliquot menſes uero, cum mercator quidam, ciuis noſter, Willius nomine diu Conſtātinopoli commoratus, perill. Ephorum, data occaſione, conueret, facta, ut fit, inter loquendum Codicis huius mentione, tanquam teſtis αυτοπτης ſancte affirmauit, ſe Turcas in templo Sophiae congregatos uidiſſe et audiuiſſe preces more iudaeis familiari recitare canendo. Quod et confirmat H, C. HENNINIUS *ελληνισμου ορθωιδου* p. 25. §. 36. *quar-*

tus

tus uſus fuit, ut cantillarint ſecundum accentus. Mahumedani Coranum, ubi ſacra peragunt, cantillant. Acoluthus in Specimine Alcoran Quadrilinguis p. 15. ξι. *Rhythmi -- elegantia et concinnitate Mahumedanos, ego inquit Theodorus Bibliander, ipſemet uidi adeo dementatos, ut quando in recitatione ſeu cantillatione potius Alcorani idem exprimendum uenit, contortos in capite oculos, coelum uerſus prae deuotionis ardore et exquiſitorum uerborum admiratione eleuarint, aliaue ſigna uenerationis Alcorani ediderint.* Sed redeamus ad Codicem graecum modo memoratum, in quo illa pericopa, quae initium EUANGELII JOHANNIS continet, neſcio qua de cauſa, non apparet. Celeberrimus et nobis antea laudatus GEHLIUS, conciliante uiro illuſtri a Maier, Conſiliario Britannico Aulico, et de orbe politico, et literario immortaliter merito, ſuum quoque codicem QUATUOR EUANGELIORUM, quem tanquam teſſeram gratae amicitiae ab amico graeco dono accepit, nobiscum lubens communicauit. Ipſe quidem ſingulari et ſupra iam citato ſchediasmate codicis deſcriptionem et uarias lectiones orbi erudito exhibuit. Neque tamen, ut ſpero, aegre feret uir doctiſſimus, nouam a nobis factam eſſe cum aliis codicibus collationem. Aera huic codici adiecta VI CIↃ IↃXIV. indictione quarta, nobis maximo fuit adiumento. Denique ex bibliotheca patria depromi curauit EUANGELISTARIUM craſſioribus literis exaratum, et omnino pretio haud exiguo habendum. De ſingulorum codicum aetate iam non iudicabimus. Ex ſingulis initium EUANGELII JOHANNEI, firmiſſimum illud telum, quo toties et nuper quidem à SAMUELE CRELLIO, ſumto LUCAE MELLIERI ARTEMONII nomine oppugnata JESU Chriſti diuinitas defenditur, decerpſimus, et aere effingendum curauimus; et quia in EUANGELISTARIO AUGUSTANO et alio Codice, haec pericopa Johannea deeſt, ſelegimus aliam ex *Matth. c.* X. a commate 37. officia ſanctiſſimae noſtrae religionis praeſcribentem, et praeterea omnes literas graecas ambitu ſuo continentem. Ex his itaque ſex codicibus uariantes collectae ſunt lectiones. De numero earum parum laborauimus; utilius enim uidetur illarum numerum minui potius, quam augeri, ſed ad illarum ſelectum, momentum et pondus reſpeximus; indicabimus eas ſucceſſu temporis ubi codex noſter publicam

aſpi-

Digitized by Google

aſpiciet lucem, ad imam cuiusuis paginae oram, adiecta illius codicis, unde hauſtae ſunt, nota, et ſubiuncta moderata epicriſi. Nunc ſpeciminis loco quaedam tantum ſelecta loca noui foederis in medium proferre licebit, quorum interpunctio aut ab hodierna diuerſa eſt, aut eandem ab aliis temere mutatam, mirifice confirmat. Conſtitueram equidem, per ſingulos N. T. libros quaedam loca in hunc uſum decerpere, ſed cum breuitati ſtudeamus, hoc Catone erimus contenti. In Matthaei cap. III. 3. uerba ſic interpunguntur *φωνη βοωντος εν τη ερημω: Ετοιμασατε* cet. cum alii uerba *εν τη ερημω* cum *Ετοιμασατε* coniungunt. Matth. c. XVII. 27. ubi alii poſt uerba *πορευθεις εις την θαλασσαν* comma ponunt, noſter codex una ſerie uerba coniungit cum ſubſequentibus *βαλε αγκιστρον*; notiſſima illa angelorum *δοξολογια* Lucae c. II. 14. ſic interpungitur: *Δοξα εν υψιστοις Θεω και επι γης, ειρηνη εν ανθρωποις ευδοκια,* ut hac ratione celeb. Moshemii explicationi faueat. C. XXIII. 43. uerba Chriſti ad latronem ſic fluunt *λεγω σοι, σημερον* cet. ut adeo iis, qui tertium fingunt animarum, corporibus excedentium, locum, nullum hic adſit praeſidium. Joh. I. c. 3. obſeruante Maio in plurimis fere MSS. ſequentem in modum uerba leguntur: *χωρις αυτου εγενετο ουδε εν. Ο γεγονεν,* ſenſu plane coacto conf. Examen Hiſt. Crit. N. T. Rich. Sim p. 480. Noſter Codex clariſſime tritam lectionem tuetur, adiecto commate poſt uerba *ουδε εν*, et puncto poſt uocabulum *γεγονεν*, conferatur ſpecimen ipſum aere formatum. Johannis cap. VII. 37. 38. uerbis *και πινετω* tantum adiectum eſt comma, quae in aliis editionibus per punctum a ſequentibus uerbis diuelluntur. Actis Apoſt. C. XIII. 48. uerba ex noſtro codice ordinata ſic ſe habent *και επιστευσαν, οσοι ησαν τεταγμενοι, εις ζωην αιωνιον* I. Timoth. 3. 15. 16. uerba *στυλος και εδραιωμα της αληθειας* ad eccleſiam referuntur. Notiſſimus ille locus, diuinitatis in Chriſto uindex I. Joh. V. 20. hoc modo procedit: *Οιδαμεν δε, οτι ο υιος του Θεου ηκει, και δεδωκεν ημιν διανοιαν, ινα γινωσκωμεν τον αληθινον, και εσμεν εν τω αληθινω, εν τω υιω αυτου Ιησου Χριστω; ουτος εστιν ο αληθινος Θεος, και η ζωη αιωνιος.*

§. V.

Supra memorauimus in Codice noſtro inueniri duo Menologia, alterum antiquiori, alterum recentiori manu conſcriptum; quae cum inter ſe uariis modis diuerſa ſint, cupiditatem nobis iniecerunt, ea cum aliis Menologiis pracipue MSS. quotquot occurrebant, conferendi, quem laborem dum ſuſcepimus, neutrum cum altero plane et ex aſſe conuenire non ſine

admiratione deprehendimus. Quibus nos uſi fuimus, ſequentia ſunt I. Menologium, ex Codice Auguſtano in forma quarta, quem ſupra recenſuimus, deſumtum II. ex codice Auguſtano, qui Euangeliſtarium complectitur, formae maximae, depromptum, III. Codici Gothano, qui Euangeliſtarium comprehendit, inſertum. IV. in Codice Bibliothecae Norimbergenſis obuium de aetate horum Menologiorum differemus ubi ipſorum Codd. inueſtigabimus natales. V. Menologium Graecorum iuſſu Blaſii iunioris Imperatoris Conſtantinopolitani ante annum Sal. DCCCCLXXXIV. conſcriptum, ad fidem membranacei codicis Vaticani a Petro Archudio Corcyrenſi latine uerſum, nunc primum editum a Ferdinando Vghello Italiae Sacrae Tomo X. in Anecdotis p. 246. Non prodiit iſtud integrum, ſed ſemeſtre tantum a menſe Septembri usque ad Februarium, quod ſupererat, Bollandi ſocii Actis ſuis T. I. Menſis Maii inſeruere. VI. Menologium Sirleti Cardinalis, cuius aetas in XI. Sec. incidit, a Caniſio T. III. Antiquarum Lectionum p. 411. edit. Basnagii adiunctum. VII. Heineccianum, quod in deſcriptione antiquae et recentioris eccleſiae Graecae p. 186. T. III. extat. Haec Menologia numero IX. inter ſe comparantibus in tanta illorum uarietate cogitatio quaedam ſubnaſcebatur; utrum forſitan e re literaria eſſet, omnium Menologiorum, quotquot aut typis exſcripta proſtant, aut in Codd. MSS. adhuc deliteſcant, colligere, collecta inter ſe conferre, collataque diiudicare? Cui bono, inquies, hicce labor haud adeo iucundus conſecrabitur? Dicam, quod ſentio, ut, qualis huius laboris ſperandus ſit fructus, cognoſci liceat. Primum uſum ſibi uendicat Theologia, et quidem ea illius pars, quae Graecorum dogmata et ritus uerbo diuino contrarios refellit. Nimirum 1) ex catalogo SS. ſucceſſu temporis ſemper aucto, quam altas cultus ſanctorum egerit radices, quamque late ſerpſerit, cognoſces. II. Graeciam ſemper mendacem deprehendes ex numero tot Sanctorum incognitorum, qui nullum in Eccleſia nomen habuerunt III. Variationes eccleſiae Graecanicae in cultu et ritibus externis diſces, cum Sanctus, cuius nomen in alio Menologio occurrit, in altero deſit. Adde titulos et elogia SS. collata in antiquioribus prodere ſimplicitatem, in recentioribus ſuperſtitionem. Secundum fructum percipiet res Critica; cum enim omnia κριτήρια, ex quibus aetas Codicis cuiusdam colligi ſolet, ſingulari induſtria ſint conquirenda, et inter ſe coniungenda, ut eo certius de pretio et auctoritate MSti codicis ferri queat ſuffragium; utique beneficio

ſicio talis Menologii, quod meditamur, facili negotio, ſi ſancti cuiusdam aut diei feſti mentio in Codice occurrat, eruere poterimus, quo tempore Codex exaratus fuerit. Rem exemplis illuſtrabo. Illud Menologium Baſilianum, cuius ſupra numero V. meminimus, a Baronio, Baſilio Macedoni, qui ſeculo IX. uixit, adſcribitur, ſed cum ſancti in eo occurrant, Baſilio multo poſteriores, recte in X. ſeculum illud reiicitur, quo Baſilius iunior Porphyrogenneta dictus ab anno 975. usque ad an. 1025. imperium Orientis tenuit, conf Baſnagius in obſeruatione de Menologio Sirleti loco citato. Sic, ubi feſtum inuenies omnium Sanctorum, aut in memoriam Conſtantini et Helenae, *των αγιων παντων, και εις την μνημην Κωνςαντινε και Ελενης*; codicis aetas haud infra ſeculum X ponenda, nam duo memorata feſta auctorem agnoſcunt Conſtantinum Porphyrogennetam, qui ab anno 911. usque ad annum 959. imperio praefuit, conf J. A. Fabricii Bib. Gr. Cap. V. Lib. V. Sic dies feſtus, quo pretioſi capitis inuentio celebratur *εις την ευρεσιν της τιμιας κεφαλης* ſeculo VIII. incognitus et nondum ſancitus fuit, uideantur Wetſtenii Prolegomena p. 20. et ille, quo natiuitas uirginis Deiparae publice praedicatur, *το γενεσιον της Θεοτοκε*, exeunte iam ſeculo VII. fuit inſtitutus. Ac in genere notes uelim, id quod uſu et collatione Menologiorum cognitum eſt, quo breuius Menologium quoque arctior Sanctorum in eo memoratorum numerus; eo maiorem prae ſe fere uidetur auctoritatem. Cuius obſeruationis ueritas uel ex duobus illis Menologiis, quae noſtro Codici adiecta ſunt, demonſtrari poteſt. Nec tot ficta numina in antiquioribus apparent, hinc ſi tibi e. g. Longinus in numero Sanctorum occurrit; tum nouitatem tum craſſam graecarum literarum ignorantiam uel ex hoc ſigno animaduertes. Neque ſolum aetas Codicis hac ratione inueſtigari poterit, ſed et eccleſia, cuius uſibus accomodatus iſte fuerit. Nonnulli enim Sanctorum ab uniuerſa eccleſia recepti ſunt, quidam uero a ſingulari quodam coetu ob merita illuſtria tantum coluntur; quibusdam nuda uox *αγιος* aut martyr adiecta eſt, aliis alia elogia fundati ex gr. templi, Epiſcopalis muneris hoc uel illo loco geſtis tribuuntur. Omitto alios uſus ex hoc ſtudiorum genere redundantes.

§. VI.

Sic habes, Beneuole Lector, et Codicis huius deſcriptionem et ſimul conſilii, quod ILL. POSSESSOR perficiendum curabit, declarationem.

Tuum

Tuum nunc erit, candide, quid TIBI uideatur, libero pronunciare iudicio, et noſtrum propoſitum, ſi qua in re potes, legum humanitatis non immemor, adiuuare. Rogatos enim uelim ILL. POSSESSORIS nomine omnes, quorum libraria ſuppellex codice graeco noui foederis, inprimis ſi uel plane nondum, uel non data opera accurate cum aliis collatus eſt, exornatur, ut illius ad temporis ſpatium haud ita longum pateat uſus; non ſolum ſancta fide et, ſi cubi opus fuerit, depoſito pignore ILL. POSSESSOR pollicetur, fore, ut ſine ullo diſpendio et ullius damni metu reſtituatur, ſed et publice hoc humanitatis officium debitae laudis praefatione praedicabitur. Id quod de Codicibus N. T. dictum eſt, ad Menologia tum edita, tum inedita quoque extendas uelim, inprimis ſi Caueo et Fabricio nondum memorata ſint. Sic fauſto auſpicio et felici tela texetur opus rei ſacrae et criticae ſtudioſis utile et iucundum, et nominis EBNERIANI, aeternitate digniſſimi,

decus aeternum.

Erratá quaedam
quae ob feſtinatam typorum operam irrepſe-re, ita corrigenda.

In praefatione Pa. I. lin. 18. loco memoers lege memores.
ead. lin. ultima: igitur.
Pag. 2. linea penultima adde t, ſyllabis: ate

In ipſo textu Pag. 7. lin. 2. poſt Εβδομαδαι dele comma.
ead. lin. 8. poſt omitti dele punctum, et ſubſtitue, quae
Pag. 8. lin. 1. οσιος, σολβιος.
ead. lin. 10. loco ςωθ lege ςωϛθ. loco ημερα, ημερα.
Pag. 10. lin. 6. loco ξ, ϛ. loco ευχεθαι ευχεσθαι.
Pag. 12. lin. ult. in occurunt r omiſſum eſt.
Pag. 14. lin. 1. pro indicare, iudicare.
ead. lin. 18. 19. loco: non ſignificat numerum, ſed Νηςειαν i. e. Jeiunium lege: ſignificat numerum L. hoc eſt usque ad Pentecoſte.
ead. lin. 22. dele XI.
Pag. 15. l. 2. loco: Jeiunii, Pentecoſtes.
ead. lin. 35. loco: albeſcendi, albeſcenti.
Pag. 17. lin. 1. 2. loco αγιος (per compendium) Ματθαιος, lege: per compendium αγιος Ματθαιος.
ead. lin. 25. loco Τελωνιων lege Τελωνων.
ead. lin. 27. loco αυτο, αυτου
ead. loco cuſtodis: hebrai lege in
Pag. 18. lin. 6. et 7. in uocabulo Matthaei ubique t. omiſſum.
ead. lin. 10. loco reſurectionem lege reſurrectionem
ead. lin. 21. abludens.
Pag. 19. lin. 11. loco Ευαγγελιον lege Ευαγγελια.
Pag. 21. lin. 18. loco illuſtraturus, lege illuſtratur
ead. lin. 19. dele τα.
ead. lin. 22. loco εξελωον lege εξελων.
ead. lin. 23. loco βρονταφρικωδεις lege βρονται φρικωδεις.
ead. lin. 25. loco τοια τοις lege τοιαυτοις.
ead. lin. 30. loco και ο α μυςης τ lege και ο μυςης τα.

ead.

ead. lin. 31. διαχκυρaττει, lege διαχαραττει.
ead. lin. 33. loco quemmadmodum lege quemadmodum.
Pag. 22. lin. 33. loco: laeua lege dextra.
Pag. 23. lin. 6. loco Wett lege Wet.
ead. lin. 11. Κυριον lege Κυριε.
Pag. 24. lin. 26. loco formto lege formato.
Pag. 28. lin. 21. loco γνωριξομεν lege γνωριζομεν.
ead. lin. 28. poſt uocem Επιςολη adde Παυλα.
Pag. 33. lin. 6. poſt deſunt addatur comma
ead. loco Cuſtodis: omnium lege omiſſum.
Pag. 34. lin. 9. loco; eſt, ex fide lege: eſt ex fide,
ead. lin. 28. pro cogneaui lege cognoui.
Pag. 35. lin. 19. tunicarum, palliorum, mitellarum, candelabrorum;
ead. lin. 30. loco: potuiſſet lege poſſet.
ead. lin. 31. poſt omnibus dele comma.
Pag. 36. lin. 18. loco aſſidentibus lege aſſiſtentibus.
Pag. 37. lin. 27. loco natae, lege notae.
ead. lin. 30. loco Ηακοβοι lege Ηακωβος.
Pag 38. lin. 8 loco rei publicae lege reipublicae.
ead. lin. 14. poſt ſigna addas comma,
ead. lin. 32. loco manificentia lege munificentia.
Pag. 40 lin. ult. poſt temporis addas comma.
Pag. 42. lin. 5. loco rnſertum lege inſertum.
ead. loco lin. 6 poſt differemus addatur comma.
Pag. 43. lin. 21. loco fere lege ferre.

NB. Pagina 7. lin. 10. Dies dominica occurrit ſub titulo: Των προπατερων, Latine dixeris; Feſtum Maiorum: Per Maiores autem intelliguntur omnes pii, ab Adamo usque ad finem Veteris Teſtamenti uitae ſanctioris laude conſpicui.

A01 146 8053